Familiaris interpretatio primae satirae Horatianae.

In prima satira Horatii et emendanda et interpretanda plures viri insignes operam collocaverunt. Primum F. A. Wolfius in otio Berolinensi a. 1813 eam et commentario et versione elegantissima subtiliter illustravit. Caroli Reisigii scholas in universitate Halensi aestate a. 1828 de hac satira habitas invito magistro et satis neglegenter (testimonium dicere possum, quia interfui illis scholis adulescentulus) edidit Eberhardus in progr. Coburg. 1840*). Praeterea satiram edidit Chr. Ern. Aug. Groebelius in progr. Dresd. a. 1834 tamquam editionis a Christ. Dav. Jani curari coeptae absolvendae specimen. Commentarios in eam scripsit Jo. Gust. Ek, professor Lundensis a. 1863 mortuus, qui Lundae 1847 prodierunt. In argumento explicando versati sunt Guil. Langius *de sententiarum nexu H. Satyrae* I. (Halae 1828); Frid. Guil. Graserus, qui Lipsiae 1828 specimini adversariorum in Sermones Platonis dissertationem de Horat. Serm. I. L. I. praemisit; J. B. Ahlemeyerus, *de argumento et ratione viaque primae satirae* in progr. Paderbornensi 1835; denique Tromphellerus *dritter Beitrag zur Würdigung horazischer Dichtweise* in progr. Coburg. 1862, ut taceam h. l. eos qui singulos locos singularibus libellis tractaverunt.

Qui initio satirae decepti ridiculam quandam *μεμψιμοιρίαν*, qua plerique Horatii aequales laboraverint, a poeta reprehensam esse statuunt, vel qui avaritiam, perniciosissimam illius aetatis labem ac pestem, tamquam plurimorum vitiorum et calamitatum fontem describi opinantur, ii, ubi de sententiarum nexu exponendum est, misere laborant ac poetam graviter culpant. Jam in-

*) Censuram eius libelli scripsit W. Teuffelius in Jahnii Annal. phil. XXXII. p. 343 – 363., editoris institutum ego improbavi in Ephem. litt. Hal. a. 1840. nr. 42.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ter Britannos Homius (elements of criticism I. p. 28) docuit poetam a quaestione primaria ita aberrasse, ut, etsi sub finem se reversurum esse promisisset, ei tamen promisso non stetisset. Quid quod vel Wolfius dixit: „Von jener Mempsimoirie geht der Dichter aus und schlendert dann seinen Weg mit der gewöhnlichen behaglichen Nachlässigkeit fort. Ein Wort indessen gegen das Ende lässt den Leser deutlich merken, dass der Zweck des Gedichts kein anderer war, als den im Eingange geschilderten Lebensverdruss aus jener schmutzigen Quelle der Habsucht herzuleiten. Und so wird das Stück zu einem zwar nicht sehr kunstreichen oder den bekannten Gegenstand mit Neuheit behandelnden, aber doch zu einem schönen und befriedigenden Ganzen.“ Qua in sententia quam secum pugnet vir summus neminem fugit, nam quae non satis artificiose composita sunt grataque negligentia incedunt, nequeunt perfecta esse et existimantium iudicio satisfacere. Heindorfius vero, cum diversissimas satirae sententias apte coniungi posse negaret, rerum ordinem plane desideravit, in epilogo conformationem duriorem esse existimavit, compositionem totam acerbe reprehendit eoque deductus est, ut excusandi causa primam hanc satiram primum quoque Horatii in hoc genere opus esse opinaretur eoque referret Epist. I, 1. initium.

Argumentum satis dilucide dispositum et uno tenore inde a v. 28 usque ad v. 107 deductum in avaritia positum est. Sermo de hominibus sorte sua non contentis et exordio et epilogo accommodatur, siquidem isti homines sortem relinquere nolunt. Id profecto nihil habet ridiculi, quod de sua aliquis queritur fortuna et mavult alienam, hoc multum, cum licuerit sortem mutare, tum nolle atque in ea, de qua questus sit, patienter perseverare. Perseverant vero isti ob studium divitiarum coacervandarum i. e. ob avaritiam, quae cum invidia arctissime coniuncta est. Atque vulgo quattuor causas proferunt, quibus avaritiam tueantur:

1) ut senectuti prospiciant (31—42),
2) ut maiore rerum copia fruantur (43—50),
3) ut ex copia delectationem percipiant (51—60),
4) ut maiorem ex divitiis dignitatem nanciscantur (61—70).

At ea avaritia non modo nihil proficit, nam abstinet avarus opibus et dies noctesque cruciatur timore ne divitiae surripiantur, sed nocet, quia hominum animi abalienantur atque adeo ad extremam plagam infligendam excitantur, ac propterea coercenda est (68—100), quo consilio non ad contrarium luxuriae vitium incitare vult poeta (100—107). Concludit igitur cum avaritia coniunctam esse invidiam; ex invidia sortis taedium et infelicitas (108—21) ma-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nant. Clausulam vero suo more addit iocosam, quia in argumento tractando (v. 27) *amoto ioco seria quaesivit.*

Satiram hanc cur primo loco collocaverit Horatius, satis probabiliter ex argumento colligi potest*). Etenim si mores aequalium describere vitamque Romanam vivis coloribus depingere sibi proposuit, nulla res potuit aptior videri quam qua vitia illo tempore pervagata notarentur ac simul Maecenatis compellatione indicaretur, quantum ad suae sortis benignitatem poeta patroni liberalitati deberet. Nam qui sua sorte contentus est, liberius perstringere potest taedium, quo plerique tenentur. Neque tamen dixerim hanc libri primi esse dedicationem, cuius sententiae nullum est certum documentum. Quod qui amplectuntur, quamquam primam hanc satiram omnium libri primi extremam esse contendunt, firmiora tamen quibus nitantur fundamenta habent nulla. Desunt omnino certa temporis indicia, praeter unum illud, quod Horatius iam in Maecenatis familiaritatem receptus est, ergo post annum 716. Accuratiora qui exquirunt, confingunt et comminiscuntur aliquid, veluti Ritterus, qui post iter Brundisinum hoc secundum poema esse ait, quo recentem amicum poeta veneratus sit (principio a. 718), vel qui ultra progressus est Teuffelius, conditam esse satiram post primum Horatii cum Maecenate congressum (extremo anno 715), ut ei post acerbiorem satiram secundam lenitatem quandam animi probaret seque futuro patrono commendaret. Nimis arguta et quaesita est ratio Kirchneri eclogam a. 719 scriptam esse conicientis, quia v. 114 et 115 ex Verg. Georg. I, 512. expressi sint:

ut cum carceribus sese effudere quadrigae,
addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Georgicon librum primum a. 719 editum esse etsi verum est, tamen inde non consequitur imitatorem eodem illud anno expressisse. Quid quod Vergilius eodem iure imitari potuit Horatium quo hic illum? At neuter imitatus videtur esse, nam quae sola apparet similitudo in verbis *ut cum carceribus, equis auriga, currus*, ea Romano homini in maxima illa ludorum circensium frequentia trita esse debuit. Contra quod maxime proprium est Vergilii *neque audit currus habenas*, id Horatius plane neglexit. Ego nihil certi de tempore constituo: verisimile videtur incidere satiram in hiemem a. 717 — 718.

*) Cf. Franc. Oelschlaeger in progr. Suenofurtensi a. 1860., „Beiträge zur Erklärung der Satiren des Horaz“ p. 3.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Interrogatione ad Maecenatem conversa excitat poeta lectorem et ad id quod in prooemio instituit attentum facit. Sortis taedium in quatuor hominum generibus proponit, quorum duo (miles et mercator) recta oratione et scenico quasi modo inducuntur sortem suam deplorantes, duo (iurisconsultus et agricola) oratione pendente. Quatuor vero generibus prolatis quam frequens illud vitium sit apparet atque exstat, id quod in primis versibus poeta pronuntiavit. *Sors* est vitae genus, quod quisque sequitur. — Vitae vero genus duplici modo paratur: in qua sententia *sibi* pronomen acuendum est, ut *suam* quemque sortem seu ratione captam seu fortuitam increpare, contra aliorum praedicare indicet poeta. Oppositio inest in his: *ratio* i. e. ubi quis rebus perpensis aliquod vitae genus eligit, *dedit* sortem, fors autem *obiecit*, uti apud Cic. Ep. ad Att. XIV, 13, 3 *sed haec fors viderit, ea, quae talibus in rebus plus quam ratio potest.* Etsi saepe a librariis *sors* et *fors* commutantur (Garaton. in Cicer. Planc. p. 244. Wund., Schneider. in Caes. b. g. II, 21), hoc tamen loco *sortem* alienam esse luce clarius est. *Fors* vero a ferendo dicta*) *fert* (Terent. Phorm. I, 2, 88. *quod fors feret, feremus aequo animo*; Sall. Jug. 77 *uti fors tulit;* Cic. Ep. ad Att. VIII, 1, 3. *quemcunque fors tulerit casum*; Tac. Hist. III, 21); eadem *offert* (Sat. I, 6, 54 *nulla etenim mihi te fors obtulit;* Tac. Ann. XIV, 5. I, 28 *quae casus obtulerat); dat* (Carm. I, 9, 14 *quem fors dierum cumque dabit, lucro adpone;* Verg. Aen. VII, 554. *quae fors prima dedit); iubet* (Sat. II, 1, 59). Hoc loco *obicit*, quia dandi vocabulum praecessit. — *illa contentus* vita fruatur (ea enim quasi praegnans est vivendi significatio Carm. III, 29, 43. *laetus deget, cui licet in diem dixisse vixi*). Fea ex multis codd. Italis recepit *ulla* idque elegantius et plenius vulgata esse dixit. At is, ubi interpretatur *alterutram* (?), absurdam efficit sententiam, quemque respuere non ratione datam, non forte fortuna oblatam sortem, sed tertiam quandam exoptare nec ratione electam nec casu oblatam. Certa vero sors esse debet, quam optat, ut mercator militis, miles mercatoris cet. Obstant praeterea grammaticae rationes, quia relativa sententia praecedit, non sequitur, ergo in ea conditionalis quasi sententia inest: si sortem aliquam dederit vel obiecerit. Constructionem demonstrativi pronominis substantivo antecedenti additi illustrarunt multi. — *laudet diversa sequentes.* Ex praecedenti *nemo* audiendum est *quisque*, ut apud Cic. de orat. III, 14, 52 (*nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut qui ad-*

*) Negat illud Hand. Tursell. II. p. 710, aiunt Curtius Gr. Etym. I. nr. 411. et Corssenus Latein. Formenlehre p. 195.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esset intellegerent, quid diceret, sed contempsit eum qui minus id facere potuisset); ex *nego aio, dico, affirmo* (Cic. de orat. I, 13, 59, *nec enim negabo esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis atque tractandis studium suum omne posuerunt, sed oratorem plenum atque perfectum esse eum (dicam), qui de omnibus rebus possit copiose varieque dicere*); ex *nolo volo* (Cic. de D. N. I, 7, 17. *tu autem nolo existimes me adiutorem huic venisse, sed auditorem et quidem aequum*); ex *nescio scio* (Cic. Tusc. V, 40, 116. *nostri Graece fere nesciunt nec Graeci Latine*); ex *veto iubeo, praecipio* (Drakenb. in Sil. XII, 64); ex *nequeo possum*; ex *obesse prodesse*; ex *ne ut* (Cic. Phil. XII, 5, 11 *denuntiatum est ne Brutum obsideret, a Mutina discederet*). Contrarium, ubi ab affirmante sententia transitur ad negantem, durius est ac propterea rarius, uti in Cicer. Brut. §. 259. Vulgo tamen exstat in Hor. Epod. 5, 87. *venena, magnum fas nefasque, non valent convertere humanam vicem*, pro quo Hauptius ingeniose restituit *venena maga non fas nefasque*. Nec spernunt nostrates nec Graeci (v. Engelhardt. in Plat. Apol. §. 10. Heindf. in Gorg. §. 29*) — Quisque igitur *laudat* i. e. felices praedicat (v. 9 *probet* v. 109), qui dissimilia et diversa instituta sequuntur. *sequentis* uti scriptum est a quibusdam, poterat genetivo casu accipi: laudat sortem eius, qui aliud vitae genus sequatur. Sed obstat v. 109.

Queruntur homines sortis suae iniquitatem, ubi incommoda in ipsa actione experiuntur: miles in laboribus, mercator, cum tempestate iactatur, iurisconsultus, cum quies turbatur, rusticus, cum in iudicium vocatus urbem adire coactus est. — Ac primum inducitur miles, qui vocatur *gravis annis*. Ea vero est omnium codd. scriptura, in qua ut multi offenderent, Wolfii auctoritate effectum est. Aiunt enim aetatem militarem apud Romanos pertinuisse tantum ad annum vitae quadragesimum sextum, quo nemo annis gravis possit appellari; at Augusti aetate iustam militiam sedecim annorum fuisse constat. Dein aetatis rationem in uno milite alienam videri, cum senectus ad alia quoque hominum genera pertineat: nec probabile esse, in uno militum ordine exemplum peti a singulari quodam nec admodum frequenti eorum genere; denique non licuisse militi annoso v. 30 profiteri, sese laborem ferre eo consilio, ut *senex* in tuta otia recedat. Quare Joannes

*) De hoc zeugmatis genere dixerunt multi, quos Stallbaum. ad Ruddimann. II. p. 361 et Ellendt. Explication. ad Cic. de orat. p. 43 collegerunt. Sed quia illi diversissimi generis exempla miscuerunt, addo Beier. in Cic. Off. T. II. p. 197. et in Lael. §. 59. Madvig. in Cic. Fin. p. 59. Seyffert. in Lael. p. 371. Scheuerlin. in progr. schol. lat. Halens. 1864. p. 15.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bouherius tacito suo nomine protulit coniecturam in Memoires pour l'histoire des sciences à Trevoux a. 1715 p. 968 *armis* eique famam fecit F. A. Wolfius aliique permulti *). Nam facilis est utriusque vocis commutatio in codd. et *arma* latiore significatione dicuntur de omnibus rebus, quae militi Romano in expeditionibus portandae erant. Est etiam apud Liv. IX, 19, 15 *equitem, sagittas, saltus impeditos, avia commeatibus loca gravis armis miles timere potest.* **)

Nihilominus spernenda est ea coniectura ut inutilis neque a sententia sequentis versus satis diversa ac ne vera quidem. Nam milites gravitate armorum premi negat Cic. Tusc. II, 16, 37 *scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant quam umeros, lacertos, manus.* Noli tamen *annis* cum Jahnio nostro ***) ita defendere, ut annos militiae, non aetatis ac vitae significari dicas. Nemo enim eum, qui multa stipendia fecit, simpliciter gravem annis militem appellare potest. Ac si appelletur, nihil inde lucrabimur et miles militaribus annis gravis multo provectior erit aetate. Veteranus est intelligendus, qui militarem sortem sibi eligit ea spe fore ut aliquando agro donetur †). Is vero, si confectae sunt vires laboribus, mercatoris fortunae sane invidet, nihilominus tamen in militia perseverat fructus laborum exspectaturus. Tales milites inducit Tac. Ann. I. 17 cl. c. 34. et 35. indignantes, *quod tricena aut quadragena stipendia senes et plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent*; itemque Hist. IV, 14. *nec aliud in hibernis quam praedam et senes.* Iuvenal. Sat. XIV, 161. — *fractus membra*, latine: membris fractis. Carm. I, 1, 21 *nunc viridi membra sub arbuto stratus.* — *multo labore* nequit ad quotidiana munia militum referri. Quo senior est miles et quo gravius laboribus vexatur, eo promptior est ad sortem detestandam et ad alteram optandam. Additamentum igitur non minus necessarium est

*) Nominavit nonnullos Kirchnerus, sed, ut solet, neglexit multos, velut Eichstadium in Parad. Horat. III. p. 6. Huschk. in Tibull. p. 6. Paldam. in Propert. p. 259. Groebel. in progr. schol. cruc. Dresd. 1818. p. 8. Fr. Jacobs. in Script. Miscell. VI. p. 9. 17. Nolo commemorare eos qui non data opera Bouherii coniecturam probarunt, ut Beier. Schulzeitung 1825. Nr. 7., Schmid. ibid. 1829. Nr. 35., Teuffel. in Jahnii Annal. XXXII. p. 350.

**) Apud eundem Livium V, 10, 9. *cum confecta labore, vulneribus, postremo aetate corpora retulerint*; XLII, 33, 3. *militares homines et stipendia iusta et corpora et aetate et assiduis laboribus confecta habere.* XXXII, 3, 5. XLI. 7, 6.

***) Is postea retractavit sententiam in Annal. phil. XXXII. p. 352.

†) Quae quondam ad vulg. scripturam defendendam F. R. in Jahnii Archiv. VIII. p. 512. excogitavit, hodie videtur spernere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quam in mercatore *navim iactantibus austris*, in iurisconsulto, si somnus ei rapitur, cet.

mercator (ἔμπορος), qui suis navibus mercaturam facit mercesque mutat, diversus est a negotiatore, ab institore, a propola et caupone.*) Is in itinere maritimo maximum vitae periculum subit *navim* (alii *navem***) *iactantibus austris*. Hic meridionales ventos, qui maxime flant in mari mediterraneo, poeta commemorat. Plin. N. H. II, 48, 128. *austro maiores fluctus eduntur quam aquilone, quoniam ille infernus ex imo mari spirat, hic summo.* Hinc *rabies noti* (Carm. I, 3, 14), *auster dux inquieti turbidus Hadriae* III, 3, 4. cl. 27, 21 *caeci motus orientis austri et aequoris nigri fremitus et trementes verbere ripae*, IV 14, 21 *indomitas prope qualis undas exercet auster*. Ibi singularis perpetuo exstat, hic pluralis ad violentiam augendam pertinet. In tanta calamitate mercator militiam *potiorem* i. e. meliorem, magis optandam quam mercaturam esse pronuntiat. Cur ita statuat, statim addit.

Quid enim? Aliquot codd. *quidni*, idque olim commendaverat Taurellus Lambino, nuper recepit Fea. Significat: quomodo non, cur non? in responsione de re agenda, cum alter dubius quaesivit. Saepe non praecedit interrogatio, sed dubitatione remota affirmatur id quod antea dictum est (Hand. Turs. IV. p. 186.). Id si recipietur, non planior fiet sententia, uti visum est Feae. Immo *quid enim* multo est concitatius ideoque huic loco convenientius. Latini ita dicunt, cum significare volunt se recte sentire neque eum, quocum loquuntur, contra dicere quicquam posse (Hand. II. p. 386.). Recte Acron: „*quare non? et est comicum* i. e. vitae quotidianae. Lamb. verbosius explicat: quid est quod contra dici possit, quamobrem ita non sit? Simpliciter est: quid dicis? quo quaecumque contradictio praecluditur. Perperam Ritter: Denn was giebt's da? Similiter Sat. II, 3, 132.

Mercatoris in undis conflictantis discrimina diu trahuntur, milites brevi *momento* transiguntur; nam simulac pugna committitur (proprium *concurrere* de pugnantibus vocabulum, Sall. Jug. 53, 2, *ubi propius ventum est, magno clamore concurritur* (Cort. *concurrunt*); Liv. X, 40, 13 *prius quam clamor tolleretur concurrereturque — pullarius ante signa cecidit*; item *concursus* (v.

---

*) Subtiliter de ea re disputavit Schroeterus Quaest. Horat. (Saraepont. progr. 1847) p. 25—32.

**) Recte illud *navim* praetulit Klotz. in Jahn. Annal. LXVI. p. 122. Ita enim Horatius Carm. I, 32, 8. Epist. I, 11, 16. II, 1, 114, quamquam et hoc et illo epistolarum loco nonnulli *navem* praebent. Ciceroni Zumpt. in Verr. p. 674. tribuit *navem*, Livio Drakenb. in libr. XXV, 30, 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Drak. in Liv. I, 25, 4. XXII, 30, 11), res cito conficitur. *momentum* de brevi horae spatio, ut Ep. II, 2, 172 *punctum mobilis horae;* Liv. V, 7, 3. *horae momento — tam longi temporis opus incendium hausit;* Plin. N. H. VII, 51, 172. *Maecenati triennio supremo nullo horae momento contigit somnus;* Phaedr. III. prol. 5 *momentum ut horae pereat officii mei*). Inde *momento* pro celerrime et barbara ista *momentosus, momentarius, momentaneus.*

aut cita mors contra librorum vett. auctoritatem post Lambinum Bentleius commendavit „ut elegantius et magis Horatianum", idem simplex *aut* ominosum plane et infaustum esse arbitratus est. Similiter Peerlkampius sono aliquid dandum putat et duplex *aut* plenius ac suavius sonare iudicat. Res diiudicari non potest exemplis, ubi particula bis posita est — sunt enim plurima —, neque grammaticorum praeceptis, qui *aut* bis poni docent, ubi pares res opponantur, semel, ubi deterior subiungatur atque descensus a maiore fiat ad minus aut (ita enim Apitzio visum est et Bernhardio in Ciceronis Brut. p. 138) a minore ad gradum quendam augustiorem. Prius illud si verum esset, duplex *aut* probandum esset, quia victoria potior videtur quam mors. Quare Liv. XXI, 43, 4. *hic vincendum aut moriendum milites*, vel Herod. VII, 104 ἐπικρατέειν ἢ ἀπόλλυσθαι; contra Demosth. Lept. 68 ὑπὲρ ὧν ἐκεῖνος ᾤετο δεῖν ἀποθνήσκειν ἢ νικᾶν. At nauta ita adfectus est animo, ut non iam ex aequo posita videat illa, quorum aut unum aut alterum possit cito eventurum sperare, sed citam mortem multo sibi gratiorem fore significet (Hand. I. p. 536). In ea enim agnoscit finem miseriarum additque, quae non tam certa putat, „oder auch ein fröhlicher Sieg"*).

V. 9 — 12. opponuntur sibi iurisconsultus et agricola. Ille *laudat*, agricolae securitatem, μακαρίζει, „sich loben". *iuris legumque peritus*, qui et in iure civili et in respondendo versatus est (iurisconsulti, prudentes), diversus ille et a iudicibus et a causarum patronis s. oratoribus. Plerumque clarissimi sunt cives, qui muneribus perfuncti *consultoribus* i. e. se consulentibus reponsa dabant quorumque domus totius oraculum civitatis erat. Cic. de orat. III, 33, 133 *M' Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro: quod erat insigne eum qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam: ad quos olim et ita ambulantes et in solio sedentes domi sic adibatur, non solum, ut de iure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut*

*) Similiter Reisig. Comment. Soph. O. C. p. 246 „animi nautae obiecto paene desperata salute ista tranquillitas ambigendi non convenit." —

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

officio aut negotio referretur. Cic. de orat. I, 45, 198. Bak. in Legg. p. 307. Eorum est *respondere de iure* vel *ius* (audacius Ep. I, 3, 23 *civica iura respondere*), vel *clienti promere iura mane reclusa domo* (Ep. II, 1, 103). ὑπερβολικῶς rem amplificat verbis *sub galli cantum* i. e. paulo post vel paulo ante illud tempus, de quo sermo est, ubi et ablativus ponitur et accusativus, nullo, ut Drak. in Liv. II, 55, 1. et Oudend. in Front. I, 5, 9. III, 9, 1. dictitant, discrimine, sed ablativo, qui rarior est, maior propinquitas significatur et res eodem fere tempore facta. Galli cantus non de forensi bucina neque de vigilibus tempus denotantibus (Plin. N. H. X, 24, 46.) accipiendum est, sed de vero gallicinio. Cic. pro Murena 9, 22, ubi dignitatem rei militaris et iuris civilis gloriam comparat: *vigilas tu de nocte, ut tuis consultoribus respondeas, ille ut eo quo intendit mature cum exercitu perveniat: te gallorum, illum bucinarum cantus exsuscitat.* Noctis vero et diei tempora accurate descripsit Censorinus de die nat. 24. et Macrob. Saturn. I, 3.

Consultor ille *ostia pulsat*, quod vocabulum non impatientiam aut importunitatem hominis declarat, sed ex more Romano est, ut Carm. I, 4, 13 *pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas regumque turres.* Hinc *pulsare ostium* Plaut. Bacch. IV, 1, 7, *fores* Ovid. Met. V, 448 et multo frequentius *pultare ianuam, aedes, ostium, fores* in Plauti et Terentii fabulis.

Agricolam necessitas coegit in urbem proficisci, ut in iure se sisteret. Ille enim vadimonium fecit (promisit, praestitit), s. vades dedit. Fuerunt autem vades qui sponderent aliquem dicta die adfuturum esse, ut causam diceret praesens (v. Keller. Semestr. I. p. 161.). Etenim datis vadibus licebat reo quo vellet vadere; si vadimonium deseruit i. e. non comparuit, causa cecidit. Sat. I, 9, 36. Proprie vades sunt sponsores in re capitali (Damon et Phintias apud Cic. Off. III, 10, 45. Tusc. V, 22, 63. Fin. II, 24, 79), sed usu obtinuit, ut aeque ac *praedes* in causa privata dicerentur. Horatius certe h. l. vades in causa privata memorat. Necessitatis indicium est in voc. *extractus.* Agricola vero *clamat* ex rusticitatis consuetudine, quam Stratyllax repraesentat in Truculento Plautina et initio Mostellariae Grumio, cuius sermonem ita excipit Tranio: *Quid tibi malum hic ante aedis clamitatiost? An ruri censes te esse? abscede ab aedibus, abi rus, abi hinc dierecte.* Cf. Schmid. in Hor. Ep. II, 1, 80. Cives vero in urbe iste fidenter adfirmat feliciores esse, quia sine molestia in iure adesse possunt.*).

*) Mirifice Paldamus l. c. rusticum urbem intrantem spectaculi novitate stupefactum fingit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cetera de hoc genere adeo multa sunt, ut vel Fabium valde lassare possint. Ita poeta se revocat a severiore argumentatione, quam in superioribus secutus est. Lucretianum illud hemistichium satis frequens Horatius recens ab eius poetae lectione repetivit. Ita sunt multa, ait, ut si velim omnia enumerare vel garrulus homo fastidium capiat. *Fabium* vero nominat, de quo Porphyrio „Fabius Maximus Narbonensis, inquit, equestri loco natus Pompeianas partes secutus aliquot libros ad stoicam philosophiam pertinentes conscripsit.“ et Acron tradit: „cum Horatio de disciplinis saepe contendit: ideo ait *loquacem*.“ Postrema ex Sat. I, 2, 134 conficta sunt.

Ne te diutius teneam (Sat. I, 3, 137. II, 1, 57 *ne longum faciam*) pluribus exemplis afferendis, audi *quo rem deducam* i. e. quo tendam, quid haec exempla sibi velint. Mirum est Groebelii commentum (in Observatt. in script. class. spec. IV. Dresdae 1822. edito p. 5.) *deducant* i. e. quem finem illorum hominum querellae habere soleant. Eandem sententiam ex vulg. scriptura extricavit Gesnerus „ad quem finem querelarum suarum homines illos *μεμψιμοίρους* deducam;“ neque recte interpretatus est Wolfius: höre den Ausgang gleich. Est vero metaphora a filo desumpta; fila enim vel stamina deducuntur: wohin ich den Faden fortspinne. Aliter Sat. I, 2, 23. *quo res haec pertinet?*

Inducit deinde deum tamquam in scaena (nam omnia haec de scaena desumpta sunt, v. Dan. Heinsii notas p. 31) actores ad partes mutandas incitantem (*ὥςπερ ἐν δράματι ὑποκριτάς*, ut ait Maximus Tyr. dissert. I. p. 395 Reisk.). Oratio condicionalis sic formata est: *Si quis deus dicat — nolint*, ut Sat. II, 7, 24. I, 1, 88, unde quam perversum sit *nolunt* vel *nolent* (*nolunt* vel deo tribuit nescio quis), perspicitur*). Sententiae illustrandae inserviunt haec, quae Fr. Jacobs. Lect. Venus. p. 382. et Matthiae Miscellan. p. 79 apte comparaverunt: Herod. VII, 152 *ἐπίσταμαι δὲ τοσοῦτο ὅτι, εἰ πάντες ἄνθρωποι τὰ οἰκήια κακὰ ἐς μέσον συνενείκαιεν, ἀλλάξασθαι βουλόμενοι τοῖσι πλησίοισι, ἐγκύψαντες ἂν ἐς τὰ τῶν πέλας κακὰ ἀσπάσιως ἕκαστοι αὐτῶν ἀποφεροίατο ὀπίσω τὰ ἐςενείκαντο.* Cic. Cat. m. 23, 83 *si quis deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem nec vero velim quasi decurso spatio ad carceres a calce revocari.* Similiter Tac. dial. 41 *si deus aliquis vitas vestras, vestra tempora mutasset.* Alia contulit Wyttenbach. in Plutarch. Moral. T. II. p. 44.

---

*) Vera verborum distinctio dudum fuit apud Turneb. Adversar. VI, 25.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

En ego quondam per se constare dixerunt: en ego adsum. Verum si *en* alibi cum *adsum* iungitur, inde non consequitur simplex *en* idem esse atque *en adsum*. Non est igitur: Hier bin ich, da seht ihr mich; quo nihil frigidius cogitari potest. Est particula cum *faciam* copulanda: wohlan, ich werde thun. — *dicat* per hyberbaton orationi interpositum, ut Sat. I, 2, 17. 4, 124; Ovid. Amor. II, 9, 25 *vive deus posito si quis mihi dicat amore.* — *beatis*, non *beatos*, ex consuetudine poetae. Sat. I, 2, 51. 4, 39. (al. *poetas*) 6, 25. II, 3, 48. A. P. 372. — *modo* postpositum illustravit Heinrich. in Juven. p. 162.

Similiter Schillerus in carmine, cui „die Theilung der Erde" inscriptum est, Jovem induxit. Mutatis partibus in scaena etiam loci mutantur. Quondam *eia quid statis* interpunxerunt; Heindorf. particulam cum superioribus (*discedite*) coniunxit. Sed uti gr. *εἶα*, ita latina particula impatientiam in eis castigandis, qui cessant et moram trahere videntur, exprimit (recentiores *eia age**). Deus cessare videt, quos statim discessuros existimavit, ideoque incitat additque *quid statis*, quae nequeunt cum Cuningamio distingui *quid? statis?* Particula ut Sat. II, 6, 23. adhortantis est. v. Hand. Turs. II. p. 364.

Quid causae est quin cet. Copulanda sunt *illis merito iratus. quin* ob impediendi notionem, quae in illis verbis inest. Terent. Andr. 600. Cic. leg. agr. II, 27, 74 *quid est causae, quin (decemviri) coloniam in Janiculum possint deducere;* Tusc. V, 11, 32. *quid est causae, quin — liceat idem Peripateticis dicere*; Tac. Ann. I, 14. *quominus idem pro Druso postularetur, ea causa quod designatus consul Drusus praesensque erat.* Propterea ait Porphyrio „*quin* nunc significat *quominus*". — *buccas inflet.* irati ac superbi dicuntur *τὰς γνάθους φυσᾶν*, quare consulto *iratus* addidit, uti A. P. 94 *iratusque Chremes tumido delitigat ore.* Demosth. de fals. leg. §. 314 p. 442 *καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται θοιμάτιον καθεὶς ἄχρι τῶν σφυρῶν ἴσα βαίνων Πυθόκλει, τὰς γνάθους φυσῶν* de fastu et arrogantia dixit, quae os tumidum reddit. H. l. signum est iracundiae, ut in Eurip. Iph. Aul. 125, 381. et apud Ovid. A. A. III, 503 *ora tument ira, nigrescunt sanguine venae.* cf. Bentl. in A. P. 197. Oudend. in Appul. Met. p. 633 et 378. Mitscherlich. Racemat. VI. p. 7. Heinrich. in Juven. p. 418. Burmannus tamen ad Petr. c. 44 inflatas buccas Jovem dedecere existimans, quod nec alibi apud poetas occurrant nec in imaginibus eius expressae sint, novam prorsus viam aperuit et pronomen *illis* cum *inflet* iunxit, hoc lepido

*) Pauly nuper *heia* scripsit et probavit Linkero, uti Fleckeisenus meus in Terent. Heaut. 521. 1063. Eunuch. 1065. Apud Cic. de rep. III, 5, 8 omnes *heia* praeter unum Nobbium ediderunt. Wagner. in Verg. Aen. IV, 569. Lachmann. in Lucr. p. 165.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sensu*): quid causae, quin Jupiter iratus colaphos illis infligat et contemptissimos mortalium reddat, quod ita soliti sint eos, quos alapis tunderent, prius buccas inflare iubere, quod Terentio *os praebere* dicatur. v. Zumpt. in Cic. Verr. p. 460. Quasi vero tale quid Jovis persona non sit multo indignius. Neque vere Nipperdeius I. p. 4. „buccas inflat, inquit, ut se homines illos aspernari et longe a se reiicere significet, cum fastidio magis quam superbia.“ Eodem spectant Acronis illa: „irascatur et exspuat in facies eorum“. At quod poetis comicis licuit, eandem licentiam sibi sumpsit satirarum scriptor. Negat igitur *Juppiter* (is enim est deus) se postea preces eorum auditurum esse. Peerlkampius proprium dei nomen alienum esse putat, quia antea simpliciter deus appellatus sit, quapropter coniecit *turpiter* i. e. adeo inflat, ut vultum faciat turpem. Ira excandescentium faciem turpem fieri notum est, quare tali additamento non opus erat.

Quae deinde a v. 23 sequuntur, plerumque prava verborum distinctione in contortam sententiam corrumpuntur vel a librariis depravata esse putantur. Quare alii *praetereo* (uti Buherius *ne* mutato in *nec*) substituerunt, Peerlkampius *interea* et v. 27 — *et tandem amoto quaeruntur seria ludo* ita cum antecedenti coniunxit, ut sententia evaderet: quando pueri, crustulis decepti, elementa ista didicerunt, ludus iste non amplius adhibetur, iam seria quaeruntur, disputantur. Omnia vero sunt sanissima. Neque tamen in Reisigii sententiam discedendum est, qui *praeterea* pro accusativo habet „ea quae praeterea sunt“ *τὰ praeterea ὄντα* et cum *percurram* copulavit, deceptus Ovidianis Met. I. 20. *sine pondere habentia pondus* i. e. *τοῖς ἄνευ βάρους οὖσιν τὰ βάρος ἔχοντα. Praeterea* particulam in enumerandis rebus declarantem transitum ad aliam rem ex Lucretii usu ascivit poeta. Similiter Sat. II, 3, 179. Apodosis incipit a v. 28 et reliqua omnia in parenthesin redigenda sunt. Expressit vero poeta familiaris sermonis neglegentiam. Cogitando supplendum est *scite* vel *sic habete*. Ep. I., 1, 13. 12, 25. Sat. I, 2, 23. Ergo post *ludo* non punctum ponendum est, sed colon.

Ne sic ut qui iocularia ridens percurram. Perperam Bentl. ad Sat. I, 8, 32 distinxit *ut qui iocularia ridens* et *est* supplevit verbum**), quod et durum est (quidni *rident* scribitur?) et alienum, quia seria rideri non possunt. Alii audiendum esse aiunt *percurrit* vel *percurrunt* vel *narrat*. Immo *agit* intellegendum est vel *fundit* (Liv. VII, 2). Eadem vero ellipsis apud Cic. Fin.

---

*) Melius sane Klotzius et Halmius interpretati sunt in Cic. Sest. 8, 18. p. 113.

**) Audacius, ut solet, Withofius II p. 53 *ne sic, ut qui iocularia ridens tractat, agam.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

II, 26, 85. *At quicum ioca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia?* Sunt quivis ioci, qui ridendi causa narrantur et ioculari licentia proferuntur, non mimi, non Atellanae fabulae, non rustica exodia. *percurrere*, ut *διέρχεσθαι*, est narrando percensere. — *ridentem dicere verum* illustratur Sat. I, 10, 14 *ridiculum acri fortius et melius magnas plerumque secat res.* — Deinde sententiam declaravit comparatione magistrorum, qui amaras litterarum radices pueris dulciores reddere solent. *crustula*, pemmata quaedam ex farina, lacte, caseo, melle et similibus confecta, ad opus dulciarium pertinent. Juven. IX, 5 *nos colaphum incutimus lambenti crustula servo*; Hor. Sat. II, 4, 47. Serv. in Verg. Georg. III, 360. Documentum aliud ita pueros ad discendum allectos esse nescio, nam dissimile est, quod Lucr. IV, 11 de medicamentis amaris narrat, in quibus ut puerilis aetas ludificetur, melle pocula continguntur. — *elementa* sunt legendi scribendique initia, prima litterarum elementa (Quint. I, 1,23), *στοιχεῖα*, quare iocose nomen duxerunt ab *λ, μ, ν*, ut *alphabetum* apud patres christianos, ABC nostratium, quod ad mediae aetatis *abecedarium* formatum est. Doederlinus duxit ab *ἀλέσαι, ἄλεμα* Mehlstäubchen, alii ab alimentis.

Talia blandimenta a doctoribus *olim* fieri dicit, quae particula nec de praeterito nec de futuro tempore dicta est, sed de indefinito tempore ponitur (manchmal, aliquando, *ποτέ*), maxime in fabulis. Sat. II, 6, 29. Epist. I, 3, 15. 10, 42. Carm. IV, 4, 5. Perperam interpretatus est Hand. Tursell. IV. p. 368 „certo aliquo tempore", quod deinde additamento „iis qui in pueritia sunt" accuratius definiatur.

velint discere, non *discant*, sed ut animo sint ad discendum prompto. Tac. Ann. I, 46 *ut ferre pacem velint.* Carm. III, 3, 61 Juno *hac lege fata dicit, ne nimium pii rebusque fidentes avitae tecta velint reparare Troiae.* Withof. p. 53. temere *elementa velint ut discere prima, paulatim amoto quaerunt et seria ludo.*

Longa parenthesi finita redit poeta ad illud *praeterea* et causam affert, cur malint homines in vitae suae conditione acquiescere Temere autem statuitur quatuor nova nunc genera hominum induci*). Recurrendum erat ad eadem exempla, quia eadem res agitur: idque poeta ipse aperte indicavit in agricola, quem v. 25 descripsit *ille gravem duro terram qui vertit aratro*, superiorum memor. Versui huic consuluisse sibi videtur post Praedicovium

*) Illius opinionis patroni exstiterunt Fr. Jacobs. in Scriptis miscell. VI. p. 3—22. Schroeter Quaest. Horat. (progr. Saraepontan. a. 1847) p. 25—31.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Meinekius transpositione *qui terram vertit aratro*, qua numerorum conformatione in re ardua et difficili constanter poetam uti ait Sat. I, 4. 20. Ep. II, 1, 259 al. Libentes assentiuntur ei Peerlkampius et Linkerus. Laboris difficultas spondeis significatur et epithetis *durus* de aratro non sine difficultate tractando et *gravis* de solo, cuius glebae non facile aratro finduntur.

V. 29 iuris consultus omissus est, quia is iuris respondendi munus non ad divitias comparandas sustinet, sed gratiam sibi inde et auctoritatem apud populum quaerit. Eius in locum succedit *perfidus hic caupo*, quem novum induci pronomen videtur indicare. Neque tamen is est intellegendus, qui pretio hospites recipit cibosque et potus vendit (Sat. I, 5, 4 *maligni*), sed uti graecum *κάπηλος* omnis mercis institor*), qui mercatur a mercatoribus quod statim vendat, de quo Cic. Off. I, 42, 150 agit. Eorum vero quaestus non minus sordidus visus est Romanis, quam eorum qui tabernam vinariam vel diversoriam exercebant. Quamquam istum nebulonem inter honestos homines laboriosos pati nolunt. Quare ad coniecturas confugerunt plerique, quarum duo sunt genera. Nam alii iurisconsultum non potuisse commutari cum alia persona opinantes eum vel emendando vel interpretando retinere studuerunt. Emendationum audacissima est Marklandi in epist. crit. ad. Fr. Harium p. 4 *caussidicus vafer hic;* prope accedunt ei, qui ad *cautorem* confugerunt, veluti Vallartus *callidus hic cautor*, vel Schraderus Emendat. lib. c. 4. p. 169 et V. D. apud Taylor. Element. iur. civ. p. 220 *providus hic cautor*, vel Porsonus ad Toup. Emendat. T. IV. p. 506 *perfidus hic cautor*. Alii interpretando qui rem confecisse sibi videbantur, cauponem de iurisconsulto operam suam vendente turpis lucri causa intellegebant et *λόγων κάπηλον, verborum cauponem* componebant, velut Toup. Curis nov. ad Suid. p. 295. ed. Lips. T. III p. 189 ed. Oxon. et Eichstadius in Parad. Horat. III. p. 17.**). Eam licentiam si scriptores sibi sumpserunt, in addito genetivo excusationem habuerunt, ut Tertullian. de anima c. 3. *cum omnes illic* (Athenis) *sapientiae atque facundiae caupones degustasset*, vel in obiecto versus Enniani apud Cic. Off. I, 12, 38 *non cauponantes bellum, sed belligerantes*. Quare nuper Peerlkampius excogitavit *responsi hic caupo*, ut consultor emeret, consultus venderet responsa

*) Similiter Nipperdeius I. p. 3. et Ekius p. 12 duo mercatorum genera prolata dicunt, honestiores mercatores, sordidiores caupones. Nollem tamen ab Sueco homine comparatos esse *nautas et caupones* satirae quintae, ubi de navigatione apparanda et de viatoribus eam in caupona exspectantibus agitur.

**) Antea idem Marklandi coniecturam probaverat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et ita lucro studeret: id quod illius aetatis moribus contrarium est. Alterum criticorum genus aegre ferens solum militem epitheto carere ceteris ordinibus ornatis*), cupide arripuerunt errorem codd. nonnullorum *campo* praebentium et effinxerunt inde alii alia. Hieron. de Bosch in praef. carmin. p. XXII. *pervigil hic campo miles;* Fea**): *praefidus hic campo miles* i. e. fidissimus, vel novam vocem fingens ille metro repugnantem; Bothius et Reisigius: *fervidus in campo miles;* Guil. Kieserus et Obbarius: *pervicus* (priscum vocabulum pro pervicaci) *hic campo miles*; Apitzius: *perficus* (novum vocabulum) *hic c. m.* scilicet ex Homerico Iliad. III, 14 *μάλα δ' ὦκα διαπρήσσων πεδίοιο*; Schmidius *pernoctans campo miles*, denique Jahnius *perfidus hic c. m.* i. e. miles qui campo et pugnis non fidus est. At in eis omnibus quaerendum est, num quis umquam *campum* pro acie et castris dixerit; Romani ubi ita simpliciter dicunt, campum Martium intellegunt (v. 91); si dixissent, otiosum esset additamentum ad militis virtutem significandam.

Nautae sunt mercatores, qui mercium comportandarum causa navibus vel suis vel conducticiis proficiscuntur ad exteras nationes. Carm. I, 1, 14 *ut Myrtoum pavidus nauta secet mare*, ubi statim subicitur mercator. II, 13, 14 *navita Bosporum Thynus* (pro *Poenus*) *perhorrescit.* Confirmatur id comparatione Ep. I, 1, 45 *impiger extremos curris mercator ad Indos. Currere* enim nulla velocitatis notione ad navigationem transfertur, velut Carm. I, 28, 36 *licebit iniecto ter pulvere curras.* Et *cursus* Carm. I, 6, 7 *cursus duplicis per mare Ulixei;* I, 34, 4. *nunc retrorsum vela dare atque iterare cursus cogor relictos.* Mercenarios vero remiges intellexit Ritterus; aptius cogitasset de navicularis cl. Epod. 17, 20, de quibus subtiliter disputavit Schroeter. Quaest. Horat. p. 26—30., at non convenit eis *per omne audaces mare qui currunt,* neque cadit in eos avaritia. Omnes illi, quos poeta memoravit, eo consilio laborem se ferre dicunt, ut senes facti otiosam et tranquillam vitam degere possint, rebus omnibus ad victum necessariis collectis et comparatis. Ad formicae exemplum accommodate *congerendi* vocabulum adhibuit et *cibaria*, quae a iurisconsultis alimentorum nomine comprehenduntur una cum vestitu et habitatione.

---

*) Eorum dubitationibus occurrisse sibi visus est Ritterus, dum verba *per omne audaces mare qui currunt* ad milites quoque pertinere statuit.

**) Is vero ita sibi placuit in isto commento, ut id in Miscell. filolog. crit. T. I. p. 9. et in Observat. ad Virg. p. 167. propositum in notis ad h. l. uberrime commendaret. — Eodem numero est Goerlitzianum in progr. Viteberg. a. 1838. *perfidus hic caupo miles* i. e. miles, qui lucri causa militiae nomen dedit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ut quaerant opes, admonentur illi exemplo *formicae*, quae sedulitatis exemplum fuit et Judaeis (Prov. Salom. VI, 6) et veteribus, ut Verg. Aen. IV, 402—407, et nostratibus, qui eam Aemse vocant et adiectivum inde ducunt. Bene sibi opponuntur *parvola formica* et *magni laboris*, genetivus qualitatis, qui non habet bestiolae vel animalis nomen additum, sed per se constat, ut Carm. III, 9, 7 *multi Lydia nominis*, Epod. 5, 41 *masculae libidinis Ariminensis Folia*, Sat. II, 8, 64 *Nasidiene redis mutatae frontis*; Cic. Brut. 70, 246 *Messalla — magni laboris, multae operae multarumque causarum*; 83, 286 *Charisius multarum orationum*; Tacit. Agr. 4. *mater Julia Procilla fuit rarae castitatis*. Omnia vero illa exempla nomina propria praebent. Sed Cicero dixit: *homo non multi cibi, sed multi ioci*. Quod cum ignoraretur, distinctum est quondam *nam exemplo est magni laboris formica*. Formicae vero morsu gerunt onera, maiora aversae postremis pedibus moliuntur umeris obnixae. Similiter Verg. Georg. I, 186 *inopi metuens formica senectae* i. e. hiemi. Juvenal. VI, 360 *tamen utile quid sit prospiciunt aliquando viri frigusque famemque formica tandem quidam expavere magistra*. Nostrae formicae per hiemem inerti somno ac torpore oppressae iacent et quae colligunt aestate grana, cellulis aedificandis, non providendo in hiemem pabulo inserviunt. „Utrum in meridionalibus regionibus alia eorum natura sit necne, ego nescio“ J. H. Vossius in Verg. Georg. I, 186 ait. Ac lepide Gesnerus“ non amplius, inquit, exemplo erit in posterum, quando diligentia illam sua ac providentia privavit nostra aetas, nimis maligna virtutibus animalium.“

V. 36 quae sequuntur Horatii verba sunt. Nam perperam Jahnius avari orationem produxit ad v. 38 *patiens*; reliqua Horatio tribuit tamquam refutationem argumenti a similitudine formicae petiti et *quid iuvat* cet. facit apodosin. At refutandi causa etiam ea dicta esse apparet quae v. 36—38 leguntur. Formicae enim exemplo nequit avarus se defendere, quia ea per hiemem ante paratis utitur, avari vero nullis molestiis a lucri studio deterrentur nec umquam iis utuntur, quae antea quaesiverunt. — Relativo pronomine *quae* adnexa sunt, quae contra dicuntur, pro *at ea*. Cf. Sat. I, 3, 48. II, 2, 34. Ep. I, 16, 33. Cic. de orat. I, 1, 2 *quam spem cogitationum et consiliorum meorum cum graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt*.

Simulac sol in Aquarium sidus transgressus est, quod fit mense Januario, annum pluviosum et tristem reddit i. e. hiemem reducit. Porphyrio: „Maxime autem sole in Aquario constituto tempestates horrendae et frigora ingentia solent esse. Sol autem transit in Aquarium XVII. Kal. Feb. (15. Jan.). In eo est diebus triginta usque in XVII. Kal. Martias.“ Poetae vero ad pluvias

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hiemales significandas non eo utuntur sidere, quod proximum est brumae i. e. hiemis initio, sed eo quod rei exornandae optime convenit. Ita Verg. G. IV, 234 *Piscis aquosus.* Horatium expressit Auson. Ep. 24, 102 *effusaque hiemem contristat aquarius unda.* Cfr. Burmann. in Anthol. Lat. II. p. 334. Voss. in Verg. Georg. p. 813. — *contristandi* vocabulum ad res inanimas transfertur, velut apud Verg. Georg. III, 279 *nigerrimus auster pluvio contristat frigore caelum* et Aen. X, 275 *contristat lumine caelum.* Proprie idem Georg. III, 303 *cum frigidus olim iam cadit extremoque inrorat aquarius anno.* Atque haec verba nobis demonstrant veram interpretationem *anni inversi.* „*Sol annum* (circulum) *peragit, dum ad signum se denuo convertit, ex quo digressus est, unde annus vertens dicitur*", ait Macrob. Saturn. I, 14. Hinc *περιτροπέων, περιτελλόμενος, περιπλόμενος ἐνιαυτός* Graecorum. Cf. Turneb. Advers. XIX. c. 29. Est igitur is, qui in sidus aquarii rediit. Noli cum Baxtero cogitare de hieme ex inversa aquarii urna defusa.

Illo anni tempore formica non foras repit et iis quae antea congessit sapienter utitur. Sat. II, 7, 83. Carm. I, 7, 17 *sic tu sapiens finire memento tristitiam vitaeque labores molli, Plance, mero;* Ep. I, 10, 44 *laetus sorte tua vives sapienter;* Carm. IV, 9, 47 *deorum muneribus sapienter uti.* Uti homo sapit, qui sic agit (Ep. I, 15, 45), ita formica sapit, quae paratis rebus utitur. *Patiens,* quod veteres editiones occupaverat, expulit primus Lambinus, acerrime impugnavit Bentleius. Quaeritur enim, an loco, sententiae, scriptoris menti id epitheton accommodatum sit. „Formica laboribus per aestatem strenuo decursis, hiemem in otio genialiter transigit, tu vero totam aetatem quaerendo et laborando consumis neque umquam cessas aut quaesitis uti vel acervum comminuere audes". *patiens,* quocumque acceperis significatu, sive exiguo et duro victu contenta et parca (cum Gronov. in Senec. Thyest. 470), sive patienter delitescens, aestatem exspectans (cum Fea et Klotzio in Jahnii Annal. T. LXIV, p. 207. LXVI p. 126), sive labores intermittens otiumque, quamvis ingratum sit et molestum, perpetiens (cum Webero et Ahlemeyero), avari studia confirmat et excusat, non refutat. Cum Hesiodio de formica in Op. et Dieb. 778 *ὅτε δ' ἴδρις σωρὸν ἀμᾶται* nequit conferri, nam id spectat ad singularem prudentiam, qua sibi in futurum prospicit (*non incauta futuri*). Mirum denique est Gesnerum recti iudicii virum commendasse *potiens* et attulisse Cic. Tusc. III, 18, 41, ubi recte *natura iis potiens* dicitur.

V. 38 sqq. Acro: „invadit avarum hominem". Is enim nulla molestia, nullo periculo a colligendis divitiis deterretur, dummodo id assequatur, ne quis ditior sit. Quae enumerantur, fere in proverbio sunt ad molestias signifi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

candas. Sat. I, 4, 29. Carm. III, 24, 36 *si neque fervidis pars inclusa caloribus mundi nec Boreae finitimum latus durataeque solo nives mercatorem abigunt.* Ep. I, 1, 45 *curris mercator ad Indos per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.* Et Graeci *πῦρ καὶ σίδηρον* dicunt. Cfr. Bernhardy in Eratosth. p. 220. Meinek. comic. Graec. I. p. 487. Inde lucem accipit Horat. Carm. I, 16, 9 *quas neque Noricus deterret ensis nec mare naufragum nec saevus ignis nec tremendo Juppiter ipse ruens tumultu.* Dixit vero poeta *neque hiems*, non *nec*, propter vocalem. v. Wagner. Quaest. Virg. XXXII. Lachmann. in Lucr. p. 187. Locis, quos modo commemoravi, uti deterrendi vel abigendi vocabulo usus est poeta, ita hoc loco *demovendi*, quod Lambinus restituit pro *dimoveat.* Utriusque vocabuli discrimen non in eo positum est, ut *demovere* de rebus vel personis, quae loco suo moveantur, singulis, *dimovere* de pluribus dicatur, vel ut illud in perpetuum significet, hoc de exiguo tempore dicatur (quae est opinio Peerlkampii in Carm. Horat. p. 37), sed praepositionum vis spectanda est. *demovetur* qui quasi ex fastigio fortunae deducitur, qui felicissimo vitae cursu deici sibi videtur, quare recte Unger. in Valg. p. 397 id tuetur in Carm. I, 1, 11 *gaudentem patrio findere sarculo agros Attalicis condicionibus numquam demoveas**).

In v. 40 interrogationem inesse opinatur Peerlkampius cum amara obiurgatione. At claudit poeta id, quod contra exemplum formicae, quod avari ponunt, attulit et duobus sequentibus versibus transitum parat ad alteram excusationem, qua avari solent vitium defendere. — *alter* secundus, spectat ad pares, *alius* ad similes. Sat. I, 5, 35. 42. Ep. I, 6, 32.

V. 41. duo discernuntur; primum terra *defoditur* furtim, dein timide *deponitur* aurum, quibus rebus sollicita cura in condendo thesauro exprimitur. Quamquam usitatius est *defodere* thesaurum, aurum, alia, tamen ad terram quoque refertur, ut apud Verg. Georg. III, 376 *in defossis specubus*; Cul. 273 *defossae domus* sunt subterraneae. In effodiendo motus tantum diversus est. *timidum* male interpretatur Acro coll. Art. P. 170 *inventis miser abstinet et timet uti*; immo magno in timore est, ne fures nocturni auferant. Cf. v. 76.

V. 43. sequitur alterum argumentum, quo se tuetur avarus: At si id (pondus argenti et auri) minuas, redigatur ad assem. Heindorf. dubitavit utrum *quodsi* coniunctio esset an pronomen relativum. Illud probavit Jahnius. Nec defuit, qui pro particula haberet: ideo hoc iuvat, quia, si commi-

*) Utroque loco Schmidtius (disp. de verborum *demovere* et *dim.* discrimine, in progr. Vitebergensi a. 1844) tuetur *dimovere.* Cf. Wagner. lect. Vergil. p. 37.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nuas, ad pusillam partem redigitur. Avarus respondet, non poeta ex sensu avari. De relativo pronomine diximus ad v. 35. — *ad assem perdere* est Ep. II, 2, 27. De vili pretio Catull. 5, 3 *rumoresque senum severiorum Omnes unius aestimemus assis;* 42, 13 *non assis facis?* — Respondet Horatius: nisi insumitur in res necessarias, auri acervus non magnopere laudandus est neque ullam dignitatem habet, ut Carm. II, 2, 1 *nullus argento color est avaris abdito terris — nisi temperato splendeat usu.* Cf. Turneb. Advers. X. 21 — *ni id fit,* ni comminuitur.

V. 44 et 45 in protasi *licet, quamvis* vel similis particula non omissa, sed parataxis quaedam est, non syntaxis, qua figura vehementiori orationi nihil aptius est.*) Ea orationis conformatio cum omnium scriptorum communis sit, tamen quondam de explicatione multum disceptatum est. Nam multi interrogationem esse in protasi opinati sunt, id quod in hunc locum, quo aliquid sumitur, ponitur, fingitur et opinione informatur, non cadere quivis videt. Sat. I, 3, 15; 9, 54. — *Area* erat locus in ipso agro patens et editus, qua ventus perflare posset, solidus ac complanatus, in quo frumentum ex agro congestum statim terebatur et ventilabatur, tum purgatum corbibus in horrea comportabatur. Cf. Heyn. et Voss. in Verg. Georg. I, 178. Ipsi areae terendi negotium adscribitur, ut apud Verg. Georg. I, 193 *teret area culmos,* 298 *et medio tostas aestu terit area fruges;* Tibull. I, 5, 22 *area dum messes sole calente teret.* Mos ille etiam nunc in Italia et Graecia servatur, ubi tribulis vel traheis iunguntur boves. — *milia frumenti* sc. modium vel modiorum. sed id vocabulum in ea re omittitur, ut in re pecuniaria Sat. I, 3, 15. II, 3, 23. — Rem a pecunia poeta ad frumentum traducit, quo clarius demonstret ingentis copiae usum non praestantiorem esse quam modicae. — *Tuus venter* propterea**) non plus accipiet quam meus. *hoc* non *δεικτικῶς* accipiendum est cum Lambino, ut vel pilo vel simile quid intellegatur, sed pro *ideo, ob hoc* ponitur. Idem factum est Sat. I, 3, 93. 6, 52. 87. 9, 8. Cic. Fin. II, 14, 44 *cum Epicuro hoc plus est negotii;* de orat. I, 3, 12 *quod hoc etiam mirabilius debet videri.* Bentleius ex codd. *ac meus* restituit pro *quam meus*, ex usu Horatiano et variandae orationis causa, quia statim subsequitur *nihilo plus accipias quam.* Usum confirmant haec exempla: Sat. I, 6, 130. 10, 34,

*) Cf. Fritzschius in Aristoph. Thesmophor. p. 49. Wex. in Tac Agr. p. 60. Dissen. in Tibull. p. 139. Gernhard. Opusc. p. 65.

**) Perperam Hand. Turs. III. p. 94. *hoc* ablativum comparationis esse dicit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

59 (quamquam de h. l. dubitavit Santen. in Terentian. p. 229), II, 3, 270. Idem fit in comparationibus, ubi vel duae res aequiperantur (*aeque*, *pariter*), vel in re dissimili (*alius*), denique post comparativos.

V. 47—49. Sententiam illustravit poeta exemplo servi. Non cogitandum est de servis dominum in itinere aliquo comitantibus, quia in eos nec *venalium* nomen transferri potest nec probabile est quemquam servorum sine onere fuisse (Sat. I, 6, 108). Quamquam Orellius de symphoniacis, anagnostis, scribis, aliis cogitavit. *Venale* ut quicquid vendibile et emptoribus expositum est, ita proprie ad venalicios servos transfertur, quos mango ducit; raro recens empti sive novicii sic vocantur. Cf. Spalding. in Quint. I, 12, 9. Simile quid hodie fit in nigris hominibus, qui a candidis venduntur. Servorum unus humero *vehit* i. e. portat (Sat. I, 5, 90 *callidus ut soleat humeris portare viator*) *panis reticulum* i. e. sacculi genus retis in modum factum, manticam, peram. Pertinet ad itinerum utensilia, uti docet Juvenal. XII, 60 *mox cum reticulis et pane et ventre lagoenae,* ubi priora per hendiadyn dicta significant Brotkorb, Garnnetz. Mirifice id vocabulum Galli corruperunt in *ridicule* et matronis attribuerunt.

V. 49. 50. maxime vexavit interpretes dativus *viventi* ex *referat* pendens, quem grammaticorum praeceptis repugnare dicunt. Quibus ut structura conveniret, Chabotius et Cuningamius *viventis* scribendum suspicati syllabam extremam brevem ob sequens *iugera* produci putarunt. Quid quod Langius *viventi* priscam genetivi formam esse contendit, in quo s littera ob antiquae orationis studium abiecta esset. Doeringius coniecit *vivens num*, postea in ed. min. *conferat*. Quae cum non ferenda esse alii perspexissent, vel absolutum dativum esse dixerunt vel commodi („wenn man lebt"), vel ex *dic* suspensum fecerunt, uti in scholis Reisigius*), vel ex *aret*. Sed *refert* aut absolute positum enunciatur aut cum accusativo et infinitivo, vel cum genetivo, vel cum dativo coniungitur, ubi significat idem quod *expedit*, *conducit*. Ita Plin. N. H. XVIII, 31, §. 316 *acino plurumum refert*, *si contingat crescente luna vindemiare*. Tac. Ann. XV, 65 *non referre dedecori* (Nipp. *dedecoris*), *si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet*. Plaut. Truc. II, 4, 43 *cui rei id te adsimulare rettulit*? Cf. Sillig. in Plin. N. H. vol. III. p. 218.

Intra naturae fines vivunt, qui vitae suae modum naturae finibus circumscribunt; naturae vero fines sunt, ut satur sit homo, ut vestiatur, ut habitet,

*) Idem in scholis de gr. lat. habitis p. 673 interpretatus est: nach dem Urtheile dessen, der nach der Natur lebt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod etiam in exiguo censu contingere potest. De eis Seneca ep. 15: *si ad naturam vives, numquam eris pauper: si ad opiniones, numquam eris dives.* Non igitur pertinet ad Stoicorum illud *ἀκολούθως* vel *ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν*, in quo naturalem legem divinam esse eamque vim obtinere statuunt imperantem recta contrariaque prohibentem. Aptius comparantur Epicureorum placita, quibus laeta paupertas honesta res est. Lucr. II, 20. 59. Zeller. hist. philosoph. III. p. 253.

Avarus iam eo compulsus ut fateatur nihil conducere, utrum mille an centum iugera quis aret, ponit v. 51 dulcius esse ex magno acervo *tollere* i. e. sumere (Ep. I, 7, 16; 6, 44), quam ex parvo. Cui argumento v. 52. respondet poeta et avarum refutat. Ea enim voluptas non solum vana et inanis est, verum etiam perniciosa. Dummodo concedas, ut ex parvo acervo parem mensuram sumamus, nil interest nec poterunt tua granaria nostris cumeris praeferri. *plus laudare, αἰνεῖν πλέον*, pro *magis*, ut Ep. I, 10, 15. In eis enim verbis quae *multum* admittunt, *plus* ponitur, ut *diligere, amare, favere, studere.* cf. Hand. Turs. IV. p. 475.

Granaria sunt horrea, in quibus magna frumentorum copia servatur. Cicero de Fin. II, 26, 84. Puteolana granaria memorat constituta ad frumentum, quod naves ex Sicilia, Africa, Aegypto in eum portum advehebant, recipiendum. Cf. Madvig. in epist. ad Orell. p. 131. Iis opponuntur *cumerae*, de quibus Acro: „cumeram, inquit, dicimus vas ingens vimineum, in quo frumenta conduntur, sicut ipse alibi (Ep. I, 7, 30), sive cumerae dicuntur vasa fictilia similia doliis, ubi frumentum suum reponebant agricolae. Tertio modo dicuntur cumerae vasa minora, quae capiunt quinque vel sex modios, quae lingua Sabinorum *trimodia* vocantur". Cf. Turneb. Advers. V. c. 13. — *liquidi* i. e. liquoris, aquae, *ὑγροῦ*. Ovid. Met. V, 454 *cum liquido permixta.* Opponuntur sibi *urna* et *cyathus*, illa dimidia pars amphorae est XL pondo, *cyathus* duodecima pars sextarii. Sic enim se excipiunt fluidorum mensurae: cyathus, acetabulum, hemina, sextarius, congius, urna, amphora, culeus. Cf. Volusii Maeciani distributio partium p. 295. ed. Mommsen.

et tamen, nihilominus *dicas.* Reisig. copulam aut abiciendam (idem nuper placuit Peerlkampio) aut in *ut* mutandam putavit; Cuningamius temere *ac* substituit. Deinde variavit poeta praepositionem, nam in magno flumine sumitur de superficie aquae, in fonticulo ex imo fundo (Hand. Turs. II. p. 617). — Multum disceptatum est de coniunctivo *malim* et *mallem.* Bentleius illud praetulit ob conformationem enuntiati: si *sit* opus et *dicas*: *malim* vel: si *esset opus* et *dixisses*: *mallem.* Utrumque sane locum habere potest, si haec

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verba a protasi separantur. Recte vero Heinrichius (v. Huschk. in Tib. p. 599) et Hand. ad Wopkens. Lect. Tull. p. 269. et Reisig. schol. grammat. p. 513. explicant: si optio daretur, si fieri posset, mallem (ἠβουλόμην ἂν); fieri vero nequit, quia nunc ad fonticulum est (*hoc font.*), non ad magnum flumen.

Vitio depravatae illius voluntatis fit, ut si quos maior aquae copia quam par sit delectet et idcirco malint de magno flumine haurire, rapidum flumen eos simul cum ripa abreptos auferat. Fluminis vero exemplum, dum *Aufidum* nominat poeta, ex patrio solo petivit. Carm. III, 30, 10 *dicas qua violens obstrepit Aufidus;* IV, 9, 2 *longe sonantem natus ad Aufidum;* 14, 25 *sic tauriformis volvitur Aufidus.* Apuliae is fluvius hodie Ofanto vocatur.

In structura v. 59. ambigitur inter *tantuli* et *tantulo, quanto* et *quantum. tantulo* nuper commendavit Doederlinus ob Ep. I, 10, 11 *pane eges* et desiderii notionem egendi vocabulo tribuit. At ibi genetivus collocatur, ut A. P. 154 *si plausoris eges.* Intellege: quantum vel sufficit vel expedit ad vivendum. Lambinus et Bentleius *quantum* probarunt, quorum hic non satis idoneis rationibus ductus („eo pacto, inquit, sententia fit paulo concinnior") et exemplis quibusdam deceptus est. Priori enim illi argumento nihil tribuendum est et exempla nihil valent, quia uterque casus in usu est. Solent vero Latini in adiectivorum et pronominum neutris, quae ad praecedens aliquod substantivum non referuntur, nominativo uti. Itaque factum est perspicuitatis causa*). Elisionem *tantuli eget*, ubi longa vocalis cum brevi copulatur, Horatius in sermonibus saepius admisit, in epistolis, quarum paulo rotundiores sunt numeri, rarius. Et h. l. in ultima dactyli syllaba posita est, ut II, 7, 53 *anulo equestri.* Cfr. Hauptius observatt. crit. p. 15—24., Lehrs. in Jahnii Annal. 1864. p. 180—194., J. Schultz. de prosodia satiricorum Romanorum cap. II. p. 20 sqq.

limo turbata aqua non est ea, quae e rivulo arido petitur (uti Lambino visum est), sed quae ab avaro ex imo fluvio hauritur. Sententia satis plana fit: qui tantulum desiderat, quantum naturae necessitas postulat, is nec sordide vivit nec cupiditate sua maximis se exponit periculis. Alia imagine poeta utitur Carm. II, 10, 19 *saepius ventis agitatur ingens pinus et celsae graviore casu decidunt turres feriuntque summos fulgura montes.*

V. 61. Horatius convertit se ad id genus avarorum, qui corradunt divitias, ut magni aestimentur. „*bona* nunc pro magna dictum, ut saepe Ennius et alii veteres" Porphyrio. Carm. IV, 2, 45 *tum meae, si quid loquar*

*) Propterea *quantum* tenuit Reisig. in schol. gr. p. 622., *tantulo* commendans.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

audiendum, vocis accedet bona pars; A. P. 297. Ep. I, 18, 109 *bona copia.* De scriptoribus memoro Cic. de orat. II, 3, 14 *bonam partem sermonis in hunc diem esse dilatam.* Et comparativo utitur Verg. Aen. IX, 156 *melior quoniam pars acta diei, quod superest cet.* Ruhnken. in Terent. Eun. I, 2, 43.

cupidine falso. Acro „et notandum cupidinem genere masculino pro cupiditate nove omnino". Jam Muretus Var. Lect. I, 4 (v. Heinsius in Ovid. Met. VIII, 74) id esse ex Horatii consuetudine probavit. Ep. I, 1, 34. Carm. II, 16, 15 *nec levis somnos timor aut cupido sordidus aufert;* III, 16, 39 *contracto melius parva cupidine vectigalia porrigam.* Nihilominus Ritterus omnibus illis locis Cupidinem, amoris antistitem, ponendum esse statuit ad Carm. II, 16, 15. Acro interpretatus est „falsa opinione aut inepta et inani cupiditate". Quorum cum neutrum probari posse Peerlkampius persuasum haberet, *cupidine laudis* coniecit sc. vivi et mortui laudentur propter magnas opes, ut Staberius Sat. II, 3, 84. At poeta non de eis viris dicit, qui ad gratificandi facultatem divitias exoptant, sed eos, qui divitiarum studium maiore dignitate inde parta excusant, significat. Est vero illud ex censu Romanorum explicandum. Ovid. Fast. I, 219 *in pretio pretium nunc est; dat census honores, census amicitias: pauper ubique iacet.* Juven. III, 143 *Quantum quisque sua nummorum servat in arca, tantum habet et fidei.* Utroque vero prior Lucilius (v. Jacobs. Lect. Venus. p. 383.):

aurum atque ambitiost specimen virtutis ubique (*utrimque* Lachm.),
tantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis,

et quae Plutarch. Moral. p. 526. C. affert: *κέρδαινε καὶ φείδου καὶ τοσούτου νόμιζε σεαυτὸν ἄξιον ὅσον ἂν ἔχῃς**). Appulei. de magia T. II. p. 144 Oud. *tanti re vera estis, quantum habetis.*

quia tanti sis. transgreditur ex recta oratione in pendentem, quasi dixisset: nil satis esse ait. Vell. Pat. II, 103, 5 *contenti simus id unum dixisse, quanti ille omnibus fuerit.* Ita enim iamdudum emendatus est ille locus, quem Peerlkampius commento suo *quantus* corrupit.

quid facias illi. Similiter Cicero pro Caecina 11, 31 *quid huic tu homini facias?* et Terent. Andr. I, 116.; at idem Cicero in Sest. 13, 29 *quid hoc homine facias;* in Verr. I, 16, 42. II, 16, 40. de imper. Pompei 20, 59. Dativi propria est significatio: in Beziehung auf einen thun; ablativi: was soll man machen aus einem Menschen. Tertia structura est praepositionis *de* Verr. V,

*) Jacobsius comici poetae versus illos esse non videtur probasse Meinekio, nam is fragmentum neglexit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

40, 104 *quid de Cleomene fiet,* maxime de prodendis ac destituendis hominibus. Cf. Madvig. gr. lat. §. 241, 5. 267. Zumpt. in Verr. p. 279. 918.

iubeas miserum esse. Bentleius invitis codicibus, ut soloecismum scilicet vitaret, *miseram* proposuit ad *bona pars hominum* relatum. At constructio est ad sensum h. l. facilius ferenda, quod *illi* dativus masculini generis, non feminini praecessit. Cf. Sall. Jug. 14, 15 *capti ab Jugurtha pars in crucem acti, pars bestiis obiecti;* c. 58, 2 *magna pars vulnerati aut occisi.* Ibi pluralis ponitur, qui multi indicantur, uti h. l*). Singularem praebet Verg. Aen. VII, 624; *pars pedes ire parat campis, pars arduus altis pulverulentus equis furit;* quorum versuum de integritate recte dubitatur. Bentleii igitur nimis anxia fuit cautio.

Idem vir summus distinxit: *iubeas miseram esse libenter,* ceteri *libenter quatenus id facit. Libenter aliquid facere* idem est ac si dicas: cum voluptate facere, in aliqua re facienda se beatum sentire (Ep. I, 11, 24). De miseria avari hominis poeta iudicat. ergo iubeas eum in sua condicione perseverare, quae quam misera sit ipse non videt, alii vident; perseverat in ea ita, ut se probet ac laudet ac se beatum sentiat. Idem perspexit Peerlkampius, qui interpretatur: homo libenter miser est, qui esse vult, qui in sua miseria sibi placet**). Quare Ekius proposuit *quatenus is facit:* quandoquidem idem is facit, quod fecisse memoratur Athenis quidam sordidus ac dives. Nihil tamen mutandum est, modo verba recte explicentur. Explicant vero alii, uti graece *δρᾶν*, de condicione „da er sich in diesem Zustande gern befindet" (v. Klotz. in Cic. Tusc. p. 417); alii, „da er das gern thut, was ihn zum Elend führt"; alii *facere* succedere in locum praecedentis verbi statuunt***), quod omnium maxime probabile mihi videtur esse. — *quatenus* ex Lucretiana consuetudine assumpsit Horatius pro *quoniam.* Carm. III, 24, 30 *clarus post genitis, quatenus, heu nefas, virtutem incolumem odimus. sublatam ex oculis quaerimus, invidi*: Sat. I, 3, 76. II, 4, 57. — *quidam* Acro: „De Timone ait Atheniensi, qui cum odium generi humano indixisset, ipse tamen sua pecunia laetatus est". At *μισάνθρωπον* nemo veterum avaritiae arguit. Romanum quendam tecte notatum opinatur Heindorf., sed quid impedimento fuerit poetae quominus Romam collocaret pro Athenarum nomine?

---

*) Peerlkamp in Virg. Aen. Tom. II. p. 57.

**) Doederlinus *memoratur* in parenthesi ponit et supplet *id fecit*, quod durius est.

***) Cf. Heusinger. in Cic. Off. I, 1, 8. Hand. ad Wopkens. Lect. Tull. p. 2. Goerenz. in Fin. II, 12.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Commentis Cruquianis: „hic quidam Fabius notatur", nihil tribuendum est, neque plausum feret Peerlkampii suspicio e cod. Vienn. *mercator* commendantis pro *memoratur*.

V. 66. metaphora a theatro translata est; ibi enim principes populo invisi sibilis, gratiosi plausu et clamoribus excipiebantur. Cic. ad Att. II, 19 *Populi sensus maxime theatro et spectaculis perspectus est*, ubi singula sibilandi et plaudendi exempla enumerat. Sest. 54, 115 *comitiorum et contionum significationes interdum verae sunt, nonnumquam vitiatae atque corruptae: theatrales gladiatoriique consessus dicuntur omnino solere levitate nonnullorum emptos plausus exiles et raros excitare. — ei qui pendet rebus levissimis plausum immortalitatem, sibilum mortem videri necesse est.* Carm. I, 20, 3 *datus in theatro cum tibi plausus.*

V. 68. Acron „commendandum est hoc pronuntiatione"*): graviore enim numero incedit versus in epici carminis modum. Tantalus, Lydiae rex, ad Jovis familiaritatem saepe admissus (C. I, 28, 7 *conviva deorum*), post insolentior factus poena affectus est, ut in magna rerum copia inops misere cruciaretur fame ac siti, frustra captans aquas et poma ori imminentia. Ita enim Homerus in Odyss. XI, 582—592., Pindarus vero, Euripides (Orest. 4), Lucretius III, 993 saxum ei impendere narrant, cuius casum semper extimescens omni animi alacritate privetur. Horatius sequitur Homerum Epod. 17, 66 *egens benignae Tantulus semper dapis.* Cicero saxum ei impendere tradit Tusc. IV, 16, 35. Fin. I, 18, 60, idem tamen ex poeta citaverat in Tusc. I, 5, 10 *mento summam aquam attingens enectus siti.* Et ita plerique Latini Homeri locum expresserunt**).

Orationem gravem abrumpit poeta interpellans avarum *quid rides?* Quod cur ille fecisset, maxime exercuit interpretes. Ridendi enim causam alii quaerunt in pathetica pronuntiatione praecedentis versus, alii in ipsa Tantali condicione frustra captantis aquam et fructus, alii in inepta ista comparatione, quia Tantalus ob fati necessitatem ex illa miseria solvi nequeat, avarus facili negotio ipse se solvere possit. Dum confugit poeta a veris exemplis (Atheniensem quendam antea posuerat) ad fabulas de rebus post mortem futuris, admonefacit nos Ciceronis Tusc. I, 5, ubi postquam illa portenta nominata sunt, c. 6 pergit auditor: *adeone me delirare censes, ut ista esse*

*) Porphyrionis verba *sed venusta pronuntiatione exprimenda est* corrupta sunt scribatur *venustas*.

**) Singula de illa fabula collegerunt Int. Verg. Aen. VI, 602. Davis. in Cic. Tusc. IV, 16. Porson. in Eurip. Orest. 5.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

credam? vel: *quis est tam excors quem ista moveant?* Ridet ergo ineptias quasi aniles, non sentiens ea fabula se maxime tangi. Qui risus ut planius intellegeretur, emendavit Peerlkampius *captas*; tum avarus ipse Tantalus vocatur. „Ego Tantalus? Tantalus numquam fuit. Omnia fabulae". In qua emendatione verum est nomina ex fabulis nota sic adhiberi, velut Sat. II, 3, 133. 5, 91. At nequit in hunc locum illud trahi, quia poeta non amplius avarum alloquitur, sed *illi, miserum* posuit. — Deinceps poeta recurrit ad eum: Est sane fabula, sed in te quadrat; muta nomen et miserrimam tuam condicionem deprehendes. Quemadmodum Tantalus bonis praesentibus uti non potest et in omni rerum copia esurit, sitit, eget, ita tu omnibus rebus ad victum necessariis abundans nihilo magis iis uteris quam si egentissimus esses.

indormis, ut Epod. 5, 69 *indormit unctis cubilibus.* Saepius *incubare*, ut apud Verg. Georg. II, 507 *condit opes alius defossoque incubat auro.* Aen. VI. 610.— Maiores difficultates praebet *inhians.* nam dum Acron interpretatur: „timens, sollicitus; quidam stupens gaudio accipiunt", iam illo tempore diversas fuisse interpretum sententias perspicitur. *inhiare* est cupide appetere aliquid et tamquam ore aperto captare, a beluarum hiatu ducta translatione, quae h. l. Tantali imagine illustratur. Cum quarto casu dixit Plautus, alii cum dativo. Quare hoc loco vel dormientis ore aperto summam cupiditatem designari opinantur, vel devoraturum quasi saccos sibi fingunt avarum, alii (uti Doederlinus) vim sententiae in participio ponentes explicant: indormiens saccis inhias aliis saccis possidendis et congerendis. Quam sententiam ut illustraret, Peerlkampius coniecit *insomnis inhias**) „et metuens fures et tantopere gavisus, ut contemplando satiari non possit"; idemque *undique* cum *inhias* iunxit: saccos congestos miratur ab omni parte, undique iis inhiat. In qua coniectura displicet ultima in *insomnis* producta. Si non haerebimus in *indormiendi* vocabulo et incubandi notionem substituemus, nulla supererit difficultas. — Comparationem v. 71. 72. instituit poeta, de qua Acron „bene, inquit, sacra in comparationem et picturam (scrib. *picturas*) introduxit; unde nihil ad quaestum adimi potest. nam ex una parte religio prohibet, ex altera tantum ars sine fructu intuentium animos quoque illudit". De sacris cf. Sat. II, 3, 108—110; Isocrat. Panath. 66 *ἀπέχεσθαι τῶν ἐν ἱεροῖς ἀνακειμένων.*

---

*) In Virgil. Aen. Vol. I. p. 424 idem coniecerat *congestis undique saccis indormis: inhias.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

V. 73 cum interrogatione legendus est, quamvis urbanitati poetae id convenire neget Weberus. Dicit poeta *quo valeat* i. e. cui commodo pecunia inserviat. Alii praetulerunt *quid valeat*, quod non pari est sententia, uti Heindorfio videtur, sed plane hinc aliena, quia quid nummi valeant avarus optime scit. Quae deinde memorantur, ea ad necessarios vitae usus pertinent, maxime *vini sextarius*. Ita Augustus apud Sueton. c. 77 *quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit* i. e. unum sextarium, quem senis haustibus Augustus bibit. v. Torrent. in eum locum. Vopiscus Tacit. 11 *ipse fuit vitae parcissimae, ita ut sextarium vini tota die numquam potaverit, saepe intra heminam*. Sextarius igitur ea fuit vini mensura, quae modeste bibenti in cena sufficeret.

75. *Quis humana sibi doleat natura negatis* explicat Acron: „adde etiam illa, quibus negatis dolet natura hominum. dicit autem balneum usumque mulieris et alia huiusmodi, quibus aut frigus aut fames repellitur". Quibus rebus Porphyrion commodiorem mansionem adiungit. Alexis apud Plutarch. de audiendis poetis p. 21. D. (Meinek. com. gr. III. p. 518) coniunxit *τὸ πιεῖν, τὸ φαγεῖν, τὸ τῆς Ἀφροδίτης τυγχάνειν* et verecundius Menander apud Meinek. com. gr. IV. p. 56.

τἀργύριον εἶναι μειράκιόν σοι φαίνεται
οὐ τῶν ἀναγκαίων καθ' ἡμέραν μόνον
τιμὴν παρασχεῖν δυνατόν, ἄρτων, ἀλφίτων
ὄξους, ἐλαίου, μείζονος δ' ἄλλου τινός.

Caste enim concubitum significat*) in iis, quae si negata erunt, dolorem nobis afferent. Superiora vero necessaria sunt. Ita Epicurus partitus est cupiditates apud Cic. Fin. I, 13, 45 (cl. Tusc. V. 33, 93) *unum genus earum ponebat cupiditatum quae essent et naturales et necessariae; alterum quae naturales essent nec tamen necessariae; tertium quae nec naturales nec necessariae:* quae Epicuri sententia apud Diog. Laert. X, 149 servata est: *τῶν μὲν ἐπιθυμιῶν αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ καὶ ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ οὔτε φυσικαὶ οὔτε ἀναγκαῖαι, ἀλλὰ παρὰ κενὴν δόξαν γινόμεναι.* Epicurei enim genus hoc obscenarum voluptatum optabile esse putant, si non obsit, prodesse numquam (Tusc. V, 33, 94). Horatius suam sententiam professus est Sat. I, 2, 119. 4, 113.

noctisque diesque. Quamquam Quint. IX, 4, 24 scripsit: *Est et naturalis*

*) Cf. Klotz. in Terent. Andr. p. 76.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ordo, ut viros ac feminas, diem ac noctem, ortum et occasum dicas potius quam retrorsum, veteres tamen promiscue dixisse apparet.*) Horatius A. P. 268 *vos exemplaria graeca nocturna versate manu, versate diurna;* Verg. Aen. VI, 127 *noctes atque dies patet atra ianua Ditis.* Terent. Andr. 676 *noctesque et dies.* Neque id ad metri quandam necessitatem referendum est, uti Gesnero placuit in Quint. l. l., quia scriptores eodem ordine utuntur, velut Cic. de orat. I, 61, 260 *in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes et dies urgeatur*, Brut. 99, 308; *et noctes et dies* Tusc. V, 25, 70; *noctesque diesque* Fin. I, 16, 51; *noctes diesque* Act. I. in Verr. 17, 52. Act. II. lib. V, 43, 112. (in orat. pro Rosc. Amer. 3, 6. *dies noctesque* nunc restitutum est). Noctis vocabulum h. l. recte praemittitur, quia nocturno tempore illa pericula magis metuenda sunt.

formidare malos fures. Comparavit Hauptius Quaest. Catull. p. 11. Catull. 23, 8.

nihil timetis,
non incendia, non graves ruinas,
non furta impia, non dolos veneni,
non casus alios periculorum.

ubi Furius et parentes egeni non incendia timent, nihil enim possident, quod igne consumatur; non ruinas, nam vacua domus est; non furta, quia nullius rei damnum facere possunt**). Quae graviore vocabulo *impia furta* appellavit Catullus, pro eo Horatius elegit quasi perpetuum furum epitheton *mali*, ut I, 4, 3 et *κακοῦργοι κλῶπες* apud Herodot. I, 41. Perperam igitur distinxit Fea *malos, fures*, ut genus et species discernerentur***). In servis avarus duplex damnum facere potest; primum enim metuendum est, ne *compilent* i. e. pilos evellant, unde *expilare* (Cic. de imp. Pomp. 19, 57 *ad expilandos socios diripiendasque provincias*), *suppilare* (frequens apud Plautum), *pilare. compilare* aliquoties Cicero dixit in Verrinis, Horatius infra v. 121. Servorum erat *convasare.* Deinde eidem servi aufugiunt.

V. 79. Equidem his bonis semper carere potius quam ea possidere velim. Graeca structura adiectivum cum genetivo iunxit, ut Sat. II, 3, 142. Carm. III, 30, 11 *pauper aquae Daunus agrestium regnavit populorum.* Similiter *dives* apud Sil. It. XV, 705 *dives ovium.*

---

*) Peerlkamp. in Horat. A. P. p. 191. Madvig. in Cic. Fin. p. 102. Reisig. schol. grammat. p. 828

**) Pericula a furibus imminentia descripsit Juvenal. III, 302 seqq., incendiorum ibid. v. 197.

***) Nemo commemoravit inventum Lindavii (in progr. Oelsn. 1845) *formid. magos.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

V. 80. Quae deinceps proferuntur, non sunt verba avari pecuniae necessitatem demonstrantis, sed poetae, qui a contrario initium facit, ut cum ironia demonstret avarum omnibus invisum esse.

condoluit temptatum frigore corpus. febri (Ep. I, 11, 13) corpus afficitur, nam temptandi vocabulum in morbis usitatum est, ut Ep. I, 6, 28. — *condoluit* non a condolendi vocabulo, quo Tertullianus et Hieronymus usi sunt pro *συμπάσχειν*, *συναλγεῖν*, sed a *condolesco*, quo utuntur Plaut. Truc. II, 8, 2 *mihi condoluit caput;* Cic. Tusc. II, 22, 52 *si pes condoluit, si dens — ferre non possumus;* de orat. III, 2, 6 *latus ei dicenti condoluisse sudoremque multum consecutum esse audiebamus; ex quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit dieque septimo lateris dolore consumptus est.*

Ambigitur, utrum *casus lecto te adflixit* an *adfixit* scribendum sit. Utrumque suos habuit patronos, illud inprimis Lambinum*) et nuper Doederlinum, hoc Bentleium, Gesnerum, alios. Rectius hi, nam *adfligere* sequente dativo vim et impetum in illidendo significat, quare casu aliquo gravissime adflicti esse possumus vel morbo et senectute adfligi; hoc vero loco diuturnitas mali significanda erat, ut apud Senec. epist. 69 *ago gratias senectuti, quod me lectulo adfixit.* Eadem varietas Sat. II, 279, ubi Bentleius male *adfligit* praetulit.

In assidua cura aegroti recte *adsidendi* vacabulum ponitur de eis, qui medicamenta fideliter ministrant vel consolandi causa adsunt**), ut apud Plin. Ep. VII, 19 *angit me Fauniae valetudo; contraxit hanc, dum adsidet Helviae virgini vestali.* Tacit. Agr. 45 *auget maestitiam, quod adsidere valetudini, favere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit.* De medico adhibuit Celsus III, 4, 29 et 34.—*fomenta* proprie dicuntur applicationes rerum calidarum et humidarum ad aegrotas corporis partes, deinde omnia, quae ad aegrotos curandos adhibentur. Cf. Celsus II, 17, 1. III, 12, 14. VI, 9, 3. — *suscitandi* vocabulum aptissimum de iacente et in lecto decumbente, qui erigitur, excitatur, recreatur, ut consistere possit et sanus fiat***). — Bentleius ex codd. aliquot (in quibus sunt tres Blandin.) *ac natis reddat*, quam verborum collocationem et dulciorem et elegantiorem esse ait. Videtur

*) Lambin. ad Sat. II, 2, 79. Heins. in Ovid. Met. XII, 179. Drakenborch. in Sil. I, 674. IX, 631. et in Liv. IV, 19, 5. Oudendorp. in Lucan. II, 31.

**) Cf. interpr. Ovid. Heroid. XX, 137. Cort. in Plin. Ep. I, 22, 11. Drakenb. in Liv. XXV, 26, 8. Burmann. in Propert. p. 757.

***) In Plaut. Mostell. 372, quem locum Duentzer. affert, de somno dictum est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

improbasse tot syllabarum in *is* exeuntium concursum. Sed in ea re codicum auctoritas plurimum valet neque quicquam tribuendum est Ritteri opinioni, qua is vulgatam *ac reddat natis* defendisse sibi videtur: „convenit, ut nati carique propinqui non divellantur".

V. 84. reicit poeta, quod paulo ante dissimulanter concesserat. Ne uxor quidem nec filius, quibus carissimus esse debebas, te salvere volunt tibique salutem exoptant*). Atque omnibus omnino avarus invisus est. Qua in complexione descendit poeta a maiore ad minus, nam „*caritas*, inquit Cic. Fin. V, 23, 65, *serpit sensim foras, cognationibus primum, tum adfinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus, tum civibus et iis, qui publice socii atque amici sunt. Noti* iam longinquius habitant, denique accedunt *pueri atque puellae*, odio, ut fit, minime indulgentes. Similiter Sat. II, 3, 130. Contra Ep. I, 1, 26 *pueri senesque*, II, 1, 109 *pueri patresque*, Carm. I, 28, 19 *senes ac iuvenes*.

Communis illius odii causa satis aperta fit hisce: *cum tu argento post omnia ponas.* Similis tmesis Cic. Off. III, 17, 71 *malitia — mala bonis ponit ante*, et in *circum* Sat. I, 6, 58. — *merendi* vocabulo emendi, mercandi significationem tribuit Arndtius**), ut C. IV, 12, 16. *nardo vina merebere*, quasi vero pecunia ac donis verum amorem nobis comparare possimus. —

Versuum 88—91. sententiam iam Acron perspexit: „At si cognatos, quos tibi gratuitos natura concessit amicos, humanitate tibi devinxeris, ita videris operam perdere, ut qui asino velut equo vult uti". Progrediendum est in loci vexatissimi interpretatione ab similitudine, quam de *asino* instituit poeta. Eam non recte intellexerunt, qui contulerunt cum proverbiali graecorum locutione *ὄνος πρὸς λύραν* vel *ὄνος λύρας*, quae *περὶ τῶν ἀπαιδεύτων* et de rebus, quae fieri non possunt, dicitur. Propterea plerique statuerunt rem, quae fieri non possit, eo significari, quod asinus currere cogatur, dum frenis coerceatur et impediatur: id vero umquam fieri posse negant. At currunt asini, modo ne quis molestia ac labore eius disciplinae deterreatur. Ea exercitatio instituitur in *campo****) i. e. in campo Martio, in quo Romani pila

*) In alia re graecus poeta apud Stobaeum *ἐπὴν δὲ μὴ φιλέῃ* (sc. *γυνὴ ἄνδρα*), *οὔτε οἶκον οὔτε παῖδας τοὺς ἑωυτῆς οὔτε θεραποντας οὔτε οὐσίην ἥντιναῶν ἐθέλει σῴαν ἐςιδέειν — καὶ τὸν ἄνδρα εὔχεται τεθνᾶναι ὡς ἐχθρόν*: quae Koen. in Gregor. Cor. p. 232. comparavit.

**) Similiter Keckius in Jahnii Annal. phil. Vol. LXXXIII. p. 765.

***) Wolfius explicat: in plano, nam vertit: im Blachfeld. Assenserunt Langius et Reisig., quorum ille: „quia asinus ad currendum in campo Martio, ubi iuventus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ludere, equitare, natare al. solebant. Carm. I, 8, 4 *cur apricum oderit campum, patiens pulveris atque solis;* Sat. I, 6, 123. II, 6, 49 *). Et in communi illa Romanorum palaestra etiam equis tractandis se exercebant. Pro equo, qui lenibus frenorum monitis obtemperat, affertur asinus, in quo tam difficilis est opera, ut equum faciliore negotio edocendum non aequet.

Ergo uti similitudo non operam frustra susceptam significat, ita eadem significatio abest a superioribus *infelix operam perdas.* Sunt enim de eo dicta, qui suscipit aliquid, quod operae pretium non esse videatur, qui, etiamsi id quod suscepit effecerit, tamen nihil effecisse se opinetur **). „Tum efficacissime, inquit Nipperdeius, haec acerba irrisione ex animo avari dicuntur: si cognatorum amorem retinere velis, videris tibi infelix operam perdere in re, quae nullo labore digna sit.“ In tali sententiarum conformatione *at* particula locum habet: stultissime miraris te non amari: at hic amor tibi tanti non est, ut eum retinere velis.

Verborum *nullo labore* sententiam recte explicavit Bentleius: quos natura sua sponte, gratuito tibi dat sine ullo tuo labore. Neque tamen ad naturam referenda sunt, sed ad totum comma: nullo tuo labore, tibi non laboranti dat natura. Id enim unum patitur collocatio verborum. Nihilominus olim Torrentius (quamquam is dubitanter), Dacerius, alii, atque adeo F. A. Wolfius tamquam certam constructionem posuerunt: si velis nullo labore retinere cognatos, quos natura tibi dat. Tales vero traiectiones non admittuntur nisi sententia plane perspicua, at hoc loco coacta fit et impedita oratio et praeterea inepta sententia: si sine ulla opera cognatos retinere velis, operam perdas. — *retinere* i. e. sibi devincire. Cic. Quint. §. 59 *id egit ut amicos observantia, rem parsimonia retineret.* —

Irrisionem quia non perspexit Bentleius et omnia serio dicta ab Horatio accepit, ultima pariter ac priora inepta esse putavit culpamque operae frustra insumptae in cognatos transferri, qui ad amicitiam aeque essent inutiles at-

---

equitandi artem exercebat atque magna spectatorum corona aderat, nequaquam aptus erit, utpote quem natura ad onera potius portanda destinavit“. Quasi vero de clitellariis et plostrariis et molariis, omnino de *dossuariis* asinis agatur. Reatini et Arcadici asini magno in pretio fuerunt. Varro de re rust. II, 1, 14.

*) Cf. Bentl. in Ep. I, 6, 59. Beier. in Cic. Off. I, 29, 104. Ellendt. explic. ad Cic. de orat. p. 204.

**) Secutus sum Nipperdeium comment. prior. p. 4—6. et Krueger. meum in progr. Brunsvic. a. 1851. p. 16—22.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que asellus ad currendum in campo frenis parens. Quare is *an si* scripsit et interrogationis signum posuit post *frenis* *) hac sententia: an nihil facis a cognatis amari et omne, quod ad eos demerendos impendi debet, male locatum et perditum iri putas, quasi si asinum traderes magistro? At vir summus cohaerentiam, quae inter hoc et superius enuntiatum intercedit, evertit. Altera interrogatione tollitur prior: miraris te non mirari?

Alii alia protulerunt, quae examinare singula longum est. Heindorfius e coniectura Wolfii ab auctore reiecta *ac si*, quod probaverunt Hand. Turs. I. p. 501. et Ekius p. 21., in qua scriptura duplex *si* offendit et obscuriorem reddit sententiam. Baxtero *atqui* in mentem venit, Marklando *non si*. Fea et Reisigius *An sic — amicos?*, cui interrogationi respondeatur duobus versibus sequentibus; in eaque sententia *sic* esse *so, ohne Mühe*, ut Sat. I, 2, 106. Carm. II, 11, 14 *cur non sub alta vel platano vel hac pinu iacentes sic temere:* sed ei rationi obstat *velis*, pro quo exspectes *possis*. Eandem particulam dein arripuit Apitzius una cum vulgata scriptura *at sic*. Reisigius olim in Coniectaneis p. 133. cum v. 86. 87. haec coniunxerat et *ut si* proposuerat. Audaciores fuerunt alii, veluti Groebel. (in progr. Dresd. a. 1822) *miraris — si nemo praestet — aut si, cum natos — amicos, infelix operam perdas?* quod in sobrii iudicii homine mirum est; non mirum est in Peerlkampio, qui maiore licentia haec novavit:

Et si cognatos nullo retinere labore
ut tibi dat natura, velis servareque amicos,
infelix operam perdas, ut, si quis asellum
in campo doceat parentem currere fraenis.
miraris, cum tu argento post omnia ponas,
si nemo praestet, quem non merearis, amorem?

vel, cum asinus ei hoc loco displiceat et in finem satirae reiciendus videatur:

nec, si cognatos nullo retinere labore
ut tibi dat natura, velis, servaris amicos,
miraris cet.

Atque idem Batavus praedicavit ingenium Doederlini, qui ter huius loci interpretationem temptavit, primum in progr. gymn. Erlangensis a. 1830 (Reden u. Aufs. II. p. 225) „non mea, sed cognatorum gratia avarus sum, eos

*) Bentleium sequuntur Haupt., Linkerus, Klotz. in Jahn. Annal. phil. LXVI. p. 127., Kolster. ibid. LXXI. p. 73.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

enim retinere volo amicos: qui vereor ne mihi succenseant, si hereditatis spem frustrari videar. At, inquit poeta, cognatos natura sine ullo tuo labore dat; ii si non et ipsi natura ac sua sponte amici tibi sunt, crede mihi, ne illa quidem parcendi congerendique via eorum amorem tibi comparabis. Eandem rem tractavit in progr. a. 1853: Scherflein zum Verständniss des Horaz p. 18, ubi ex *nullo labore* aiens *labore* ad *retinere* trahendum esse dixit. Nuper vero *infelix* seiunxit ab *perdas operam* et retulit ad superiora*): Si cognatos, quos tibi natura sine labore tuo dat, antea a te neglectos, nunc factus infelix, retinere velis, operam perdas. Quid quod Bothius *infelix* vocativum esse opinatus est.

92. *denique* claudit expositionem rei adiecto eo, in quo omnia reliqua continentur. (Cf. v. 106, et Hand. Turs. II. p. 272.)

cumque habeas plus Lambinus ex codd. restituit, pro quo Muretus olim *quoque habeas plus* probaverat. Illam scripturam tutiorem et fortasse elegantiorem dictitavit Lambin., huic maiorem significationem tribuit Heindorfius. At plane inepta est sententia: quo plus habebis, eo minus metues pauperiem, qua avarus in congerendarum divitiarum studio confirmatur. Cui difficultati quondam occurrit J. A. Schaefer. in progr. Onold. 1820. p. 20 accipiens pro *et ut eo plus* i. e. ut tibi ditior videaris, minus metue absentiam divitiarum, nam omnia possidemus, si non concupiscimus, id quod illustratur Carm. III, 16, 25 *contemptae dominus splendidior rei.* Idque inventum commendavit Doederlinus nec improbare videtur Peerlkampius. Sed codd. scriptura satis bona est, modo cogitando suppleamus: *plus quam opus est, ut senex in otium tutum recedas***). Sat. II, 2, 109. Sat. I, 6, 57 *plura profari;* Ep. II, 2, 196 *neque plura parare labores.* Ibi poeta plurali usus est, quem hoc loco collocare noluit, quia singularis *minus* sequitur. De absoluto illo usu, ubi ipse nexus sententiarum, quid ubique assumendum sit, docebit, quondam Heusinger. in Cic. Off. III., 32, 9 dixit. — *et finire laborem incipias.* Peerlkamp. opinans hoc non differre a superiore *sit finis* atque adeo minus esse quam illud, admoneri maluit avarum, ut quaesitis uteretur, ac propterea coniecit *et frui, avare, laborem incipias.* Accusativum sonus requirere ei videtur nec structura quicquam offensionis habet. Horatius sane *uti* dixit v. 37, idem *frui* Carm. I, 31, 17 *frui paratis, et valido mihi, Latoe, dones.* Sed labor maius quid est, quam quod prae-

*) Persuasit Keckio in Jahnii Annal. l. c. p. 766., non persuasit Kruegero, qui in Muetzelii Ephemer. Vol. XIV. p. 723. bene ista refutavit.

**) Minus recte Ritter: quam ante, cum quaerendi principium fecisti.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cedit omnesque curas et aerumnas complectitur, uti v. 30., neque esse potest id, quod quis labore aquisivit.

parto quod avebas. Ablativi absoluti subiectum inest in relativa enuntiatione. I, 6, 122. Ita apud scriptores *audito, nuntiato, cognito* al. Cf. interpret. Liv. I, 41, 6. Otto in Tacit. p. 170. Kritz. in Sall. Jug. 42, 2. — *ne facias* pro *nec* codd. auctoritate constituit Bentl. Patiendi significatio ab hoc quoque loco aliena est. v. p. 24.

In divitis avari nomine valde variatum est in codd.: *Unidius, Uvidius, Vinidius, Numidius, Umidius, Ummidius,* al. *Umidius* est apud Charis. p. 228. *Numidius* apud Diomed. p. 394. K. Bentleium *Ummidius* restituentem plerique secuti sunt. Cum Reisigio et Jahnio Apitzius *Nummidius* nomen fingit*) a nummis quos amabat iste eundemque esse opinatur cum *Avidieno* Sat. II, 2, 55. Quis fuerit iste nescitur, neque iuvat in re incerta coniectari.

Omnem vero orationem scabram et hiulcam esse putavit Bentleius ac propterea scabritiem levigavit et hiantem dictionem coagmentavit coniectura: *qui tam (non longa est fabula) dives***). In qua orationis conformatione iam illud offensioni est, quod parenthesis alienissimo loco interponitur. Neque felicior fuit in oratione leviganda Peerlkamp. *metuens* substituendo et inde continuanda oratione. Nihil mutandum est, si *non longa est fabula* per se constare conceditur (ita apud Cic. Tusc. I, 47, 113 *nota fabula est* per se posita sunt) et post *Ummidius quidam* distinguitur. Praeterea displicuit pronomen „quasi de homine ignoto.“ Ummidium vel magnae divitiae vel ipsa avaritia celebrem et famosum reddidisse illis criticis credibilius videntur. Sed idem v. 64. Sat I, 2, 31. Fabularum illud antiquum est initium, quia, qui alteri aliquid narraturus est, non putat rem et hominem illi notos esse. Maxime auctoritas pronominis Diomedis et Charisii testimoniis stabilitur.

Inde a verbo v. 95. *dives* nova incipit sententia, ut I, 2, 13. Acron: „deest hic *ita* ut sit ita dives ita sordidus“ et Porphyrion: „hoc est *adeo dives* et ideo pronuntiatione adiuvandum.“ Sat. I, 7, 13. Abruptae vero transitionis exempla, ubi is, hic cogitandum est, ne apud scriptores quidem desunt.

ut metiretur nummos. Suidas v. *μέδιμνον* profert proverbium***) *μεδίμνῳ*

---

*) Sono nominum Horatium alludere ad hominum mores ex epistolarum et satirarum locis demonstrare studuit Obbarius Philolog. VII. p. 384.

**) Idem probavit Withof. II. p. 55.

***) Leopardi Emend. XV, 22. Salmas. de usur. p. 307. Burm. in Petron. c. 37. Abram. ad Cic. l. c. Leutsch. Paroemiogr. T. II. p. 519.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἀπομετρῶ παρὰ τοῦ πατρὸς ἀργύριον, ἐπὶ τῶν μεγάλην καὶ ἀθρόαν προσδοκάντων ὠφέλειαν ex Xenoph. Hellen. III, 2, 27, idem est apud paroemiographos Arsen. XXXV, 31. Apostol. XI, 13. Usurpavit Lucian. dialog. meretr. 9. 2 *τὸ μὲν ἀργύριον μηδὲ ἀριθμῷ ἄγειν αὐτὸν, ἀλλὰ μεδίμνῳ ἀπομεμετρημένον πολλοὺς μεδίμνους.* De Latinis apud Petron. c. 37. uxor Trimalcionis, Fortunata appellatur, *quod nummos modio metitur*; Cic. Philipp. II, 38, 97 *tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut iam expendantur, non numerentur pecuniae,* ubi Cicero ponderis quam mensurae habere rationem maluit. Hannibal post Cannensem victoriam potuit *τοὺς δακτυλίους μεδίμνοις ἀπομετρῆσαι.* Et *modius argenti* est apud Iuvenal. III, 220. — *non umquam* pro numquam fortius, ut *non ullus* apud Vergilium: v. Zumpt. in Cic. Verr. p. 43. Acron inepte: „potest et *nonnumquam* legi, ut perraro servo melius vestitus fuerit.“ — *servo* ablativ. comparationis pro *quam servum.* Ep. II, 1, 197. Nam heri erat servos et alere et vestire. Gestabant ei tunicam nec pilo nec calceis utebantur.

Avarus iste ad extremum vitae diem metuebat, ne subito fame enecaretur; at eum liberta, quae in domo eius erat, *divisit medium* i. e dissecuit vel diffidit in duas quasi partes, percussit eum (Verg. Aen. IX, 751), per mediam partem dissecuit (Kritz. in Sall. Cat. c. 61, 3), tamquam altera Clytaemnestra. Nam Agamemno e bello Troiano reversus ab Aegistho et uxore insidiis exceptus et securi interfectus est. v. Juvenal. VI, 657. Eam vero appellat poeta *fortissimam Tyndaridarum*: quae verba grammaticos cruciarunt, quia masculinum *Tyndaridae* de femina dictum et cum adiectivo feminini generis coniunctum est. Nihilominus verba satis confirmata sunt Quintiliani testimonio IX, 4, 65 *est in eo quoque nonnihil, quod hic singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus est permolle: nec solum ubi quinae syllabae nectuntur, ut in his fortissima Tyndaridarum, sed etiam ubi quaternae, cum versus cluditur.* Quare Heinsius in Ovid. Met. V, 268 id feminino genere accepit pro *Tyndaridum,* uti *lampada, hebdomada,* al. nominativo casu dicuntur, quae plebeiae formae*) ab nitidissimo poeta alienae sunt. Bentleius statuit masculino genere utriusque sexus liberos tam filias quam filios comprehendi, ut *reges, parentes, fratres, pueri, soceri* (v. Reisig. schol. grammat. p. 151). Id nullam offensionem habet, ubi coniunctim nominantur Castor, Helena, Pollux tres Tyndaridae. Neque extendi potest ad Orestem et

*) Cf. Scaliger. not. in Manil. p. 51. Hyginus saepe latinis terminationibus utitur, ut *Briseida*, v. Munckeri dissert. de aetate et stylo Hygini; Dictys VI, 7 *Nereida.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Electram sociam consiliorum, quia caedes mariti requiritur. Quare Clericus in Bibliothèque choisie III. p. 256. *fort. Tyndaris. Horum quid* etc. proposuit et patronum nanctus est olim Buherium, nuper Peerlkampium, adversarium Bentleium. Cuningamius coniecit *Tyndarearum* vel *Tyndariarum* *), denique Withofius II. p. 57 *Tyndaris ut trux.* Est vero synesis, ut Carm. I, 37, 20 *fatale monstrum: quae generosius perire quaerens* et, quamquam ex alio genere, Sat. I, 9, 4 *dulcissime rerum.* Funkhaenel. in Annal. Darmstad. 1844. p. 698. ei libertae nomen Tyndaridi fuisse opinatur, ac dein ibid. a. 1846. p. 699 copiosius de structura agens masculino generé usum poetam docuit, ut fortem eius animum notaret, uti Martinus Lutherus iocans in epistolis scribit: „dominus meus Ketha" vel „meus Ketha", quae subtilius quam verius disputata sunt. Nihil vero prodest contorta ista synchysis Sanctii in Minerva IV. c. 11. T. II. p. 382 ed. Bauer.: liberta fortissima divisit hunc medium securi Tyndaridarum.

V. 101 *mi igitur.* durissima elisio longae vocalis est brevi subsequente ut I, 2, 30 *contra alius*, II, 2, 63 *quali igitur*, Ep. I, 2. 29 *aequo operata.* Ea forma improbata alii *quidnam*, alii *quidve*, alii *quidne* (Reisig. schol. grammat. p. 276) protulerunt, ex quibus hoc per se non reiciendum (Sat. I, 10, 29; II. 2, 107; 3, 295, 317), vulgatae vero minime praeferendum est. Redeundum est ad illud Clerici commentum *horum quid mi suades?*, quod nequit consistere, quia non avarus et nepos hic ponuntur, ut sit: utrum horum imitari me mavis?, sed uterque prodigus fuit. Postquam avaritiam copiose castigavit poeta, interrogatio: suadesne ut vivam avarus? inepta plane et a satirae consilio aliena est. — Quare prius explicandum est de personis, quas memorat avarus. De priore ambigitur, nam codd. plerique praebent *Nevius* vel *Naevius*, *Mevius* vel *Maevius*; Maenius in uno tantum cod. Dresd. extat, sed iam a Glareano id propositum ac deinceps post Lambinum a plerisque probatum est. Commemoratur iste I, 3, 21. Epist. I, 15, 26, sed fuit centum annis ante et a Lucilio saepius exagitatus in proverbium abiit **)

---

*) *Τυνδαριδᾶν* Theocrito XVIII, 5 restituit Bergkius.

**) Erravit Gerlach. Lucil. p. XXVI; nec probabiliter Becker. über die personae Horatianae Maenius, Pantolabus u. Nomentanus in Mus. Rh. V. p. 369. et Heusdius stud. crit. Lucil. p. 231 et Epist. ad C. Fr. Hermannum p. 28. Lucilianas personas esse evincere studuerunt, ut vel Nomentanum Sat. II. 8. ficto nomine indicari opinarentur. Estrée Prosopr. p. 555.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ac Lucilianus ille Maenius nequit componi*) cum *Nomentano*, qui fuit inter Horatii aequales (Sat. II, 3, 175. 224. I, 8, 11 cl. II, 1, 22) et in cena Nasidieni adest omnium deliciarum monstrator II, 8, 25. 60. Quare codd. scriptura *Naevius* revocanda est ea tamen cautione, ne Naevius cum Acrone et Porphyrione habeatur pro parco et sordido homine, qualem ne in Sat. II. 2, 68. quidem deprehendimus. Nomentanum sestertium septuagies libidini et gulae impendisse tradunt scholiastae et narrant eius coquum Damam a Sallustio centenis milibus aeris conductum esse. — Perperam *aut sic* mutatum est in *an* vel *ac sic*. Audacius egit Peerlkampius, qui correxit *horum utrum igitur suades ut vivam? Naevius an sic ut Nomentanus?*, in qua emendatione *vivere aliquem* est vivere vitam alicuius, ut apud Juvenal. XII, 127 *vivat Pacuvius quaeso vel Nestora totum*. Non displicet sane structura *horum utrum*, quia ex consuetudine Horatiana est (Sat. II. 2, 64. Ep. I, 17, 16), sed displicet constructio in nominativum mutata (dicendum enim erat *Naevium* et *Nomentanum*), displicet sententiae perturbatio. — Respondet Horatius non sine obiurgatione. Dehortatus enim erat ab avaritia: huic iste opponit, num se prodige vivere velit. Ne plura luxuriae exempla proferat, interrogatione silentium ei imponitur, hac sententia: noli pergere. cf. Nipperdeii comment. I. p. 6. Quod non perspexerunt, qui interrogationis signum sustulerunt; ex iis vero, qui id servarunt, Heindorfius *pergere* pro incipiendo et conando poni ait et, quasi nihil interesset, interrogatione et noto verbi usu tantum fortius haec efferri dixit: fährst du so fort die Extreme zusammenzustellen? — Copulanda sunt verba *frontibus adversis componere* translatione a gladiatoribus ducta, (ut Sat. I, 7, 20), qui adversis frontibus invicem contra se pugnant. Duo autem sunt vitia maxime inter se pugnantia, luxuria aut avaritia. Similiter Epod. 1, 33.

haud paravero
quod aut avarus ut Chremes terra premam,
discinctus aut perdam ut nepos.

V. 103. Tu ex eo, quod nolo aliquem avarum esse, colligis me auctorem esse, ut is luxoriose vivat et bona sua dissipet. Erras. Nam inter haec duo contraria medium est; interest temperatus et mediocris pecuniae usus. *vappa* vinum est, quod degeneravit a bonitate et natura vini, vel, ut Acron ad I, 2,

*) Rem attigit primus C. Fr. Hermannus in ephem. Gotting. a. 1843. p. 379, dein Nomentanum Lucilianum ab Horatiano diversum esse verbo significavit Lachmann. in indic. lect. aestiv. Berolin. a. 1849 p. 5. Cf. Teuffel. Mus. Rhen. T. IV. p. 97.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

12 dicit „quod nec vinum nec acetum est.“ Sat. I, 5, 16. II, 3, 144. Idem vocabulum ad corruptos hominum mores, maxime ad prodigum denotandum transfertur. Testatur Plin. N. H. XIV. 20 § 125 *vitiumque musto quibusdam in locis iterum sponte fervere, qua calamitate cum defervit sapor, vappae accipit nomen probrosum etiam hominum, cum degeneravit animus.* Similiter I, 2, 12 cum *nebulone* coniunctum est. *nebulo* (Ep, I, 2, 28.) utrum ex *ne-valere* (Taugenichts), an ex *nepote*, an ex *nebula* factum sit dubitatur. Antiqui grammatici ad extremum recte inclinare videntur. Peerlkamp. discrimen hoc statuit, ut *vappa* sit simplex et ineptus, *nebulo* impudens et malignus, uterque autem prodigat bona, ac propterea *aut nebul.* scribendum putavit, prorsus immemor Sat. I. 2, 12. — Frustra difficultatem quaesiverunt in verbo *fieri*, quia is quocum loqueretur poeta, avarus iam esset. Cui rei succurrerunt mutata interpunctione vel *cum veto te, fieri* vel *cum veto, te fieri* et *esse* ad prius comma intellexerunt, uti Wolfius. Sed *fieri* ad utrumque membrum referendum est. Nec *fieri* interdum pro *esse* ponitur, ut contendit Kirchnerus, nec fortiore remedio utendum est cum Peerlkampio: *non ego avarus cum veto sis, fieri vappam iubeo.* Generalis de avaritia sententia fertur, quae non ad unum illum, quem alloquitur poeta, pertinet.

V. 105. medium illud, quod inter contraria est, Horatius exemplo declaravit, cui explicando Acron et Porphyrion adiumenta suppeditant: „Tanais libertus Maecenatis, nobilissimus spado, socer autem Viselli herniosus, ac si diceret: multum interest inter eunuchum et herniosum vel inter ramicosum et spadosum.“ Et id ipsum, quo eunuchus caret et in quo hernia nimius tumor efficitur, *scrotum* pro *socerum* restitui voluit Axtius in progr. Crucen. a. 1860 p. 22, nam non tertio homine obscuro opus esse ait, cuius nomen reticeatur. At tum vitii, quo Tanais affectus erat, mentio similiter facienda erat. Maiora vero molitus est Peerlkampius, cui tota haec locutio proverbialis tam ridicula et inepta videtur, ut eam excidisse Horatio inter gravissima praecepta ex media philosophia petita neget. Criticus igitur Batavus *Tanain* pro fluminis nomine habuit, quod alterum flumen desiderat, quare, ut ingens intervallum indicetur, coniecit *Eridanumque* et *Viselli* vocativum esse statuit. Tali emendatione simul, si diis placet, avari nomen cognovimus, quocum poeta inde a v. 38 egit. Reisig. in schol. gramm. p. 88 recte *Tanaim* formam latinam praetulit.

V. 106. Certi sunt fines, *intra* quos rectum consistit, ultra eos aut citra eos fines consistere non potest *rectum.* Hoc vero est gr. τὸ ὀρθόν, honestum, virtus, Stoicorum κατόρθωμα, perfectum officium. II, 6, 75. Ep. I. 18. 9

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

virtus est medium vitiorum et utrimque reductum. Auct. ad Herenn. III, 2, 3 *rectum est, quod cum virtute et officio fit.*

V. 108. Redit poeta ad satirae initium et eadem fere verba, quae ibi collocarat, quasi dedita opera repetit. Causas enim demonstraturus, cur nemo sua sorte contentus vivat, cum multis hominibus perpetuorum laborum causa sit avaritia, avarum tamquam exemplum huius morbi copiosius persequitur. Dum illius morbi causam ponit avaritiam, legentibus relinquit, ut ad omnes homines transferant. In exitu igitur homines sorte sua non contentos avari similes esse docuit, ut animum eorum ex parte tamquam avari describeret et verbis ab illius condicione desumptis uteretur, quibus legentes facili opera universo generi convenientia substituerent. Cf. Nipperd. comment. I. p. 10. De explicandis verbis iam veteres in diversas partes abiisse declarant scholiastae, declarat scripturae diversitas, quam praebent codices. Plerique asciverunt *Nemone ut — se probet*, in qua sententiae conformatione admirationem inesse dicunt. At postquam poeta in avaritiam invectus rem omnibus notissimam explicavit, nullus est admirationi locus. Neque grammaticae leges eam structuram admittunt, quia in tali sermone accusativus cum infinitivo saepius ponitur, ut in Verg. Aen. I, 37 *mene incepto desistere victam nec posse Italia Teucrorum avertere regem;* Sat. I, 9, 72. Aliam viam Wolfius ingressus est post *laboret* v. 112 signo exclamationis posito, quae exclamatio neque cum antecedentibus neque cum consequentibus apte nectitur. Restat igitur vulgata *nemo ut* cet. cum antecedentibus *illuc, unde abii, redeo* copulanda et usque ad v. 113 continuanda. De structura dudum Wachsmuthius in Athenaei Vol. I. p. 305-312 et Heinrichius recte praeceperunt. Inest enim singularis quaedam dicendi brevitas: ut dicam neminem avarum se probare. Cuius usus exempla plurima praebet Cicero*), ut Legg. III, 15, 33 *nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius;* Fin. I, 5, 14 *nam illud quidem adduci vix possum, ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur;* atque Horatius idem posuit Sat. I, 3, 115, ubi confusio rei effectae et notionis iudiciique de re effecta adest. At hiatum *nemo ut* in terso poeta ferri posse negant. Nihilominus eius apud Horatium exempla sunt, velut interiectio *o* cum sequenti vocali non colliquescit, quae elisione plane tolleretur, ut Carm. I, 1, 2 *o et praesidium,* IV, 5, 37 *longas o utinam,* Sat. II, 3, 265 *o here.* Praeterea plures Horatii versus

*) Cf. Madvig. in Cic. Fin. p. 32. Quae olim Wachsmuthius l. l. p. 311 congessit, minus apta sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

hiant vel in arsi, ut h. l. et Carm. I. 28, 24 *ossibus et capiti inhumato*, ubi male Axtius *intumulato*, et Epod. 13, 3 *Threicio Aquilone*. Syllaba longa in thesi ante vocalem servatur Ep. 5, 100 *et Esquilinae alites*. Eximendum est Carm. II, 20, 13 *iam Daedaleo ocior Icaro*, ubi *notior* facillima et accommodatissima est emendatio. At recte Sat. I, 9, 38 et Carm. III. 14, 11 *male ominatis parcite verbis**).

Quae cum ita sint, nulla opus esse coniectura statuo. Proposuerunt vero critici plurimas, ut Reisigius (probante Schmid. in Ep. T. II. p. 203.) *Qui? nemo ut avarus*, wie so? in wie fern?, quod a temperata conclusionis forma alienum est; Graserus: *Illud, unde abii redeo. Nemo nam ut avarus* cet. Kirchnerus: *nemo umquam ut avarus*; Doederlinus: *nemoque ut avarus* u. zu der Darlegung, wie wenig irgend ein Geiziger Zufriedenheit geniesst.**) Apitzius *ut* pro *utpote* accepit „wie es in der Natur des Geizigen liegt; sed idem inest in scriptura vulgata: ut nemo propterea quod avarus est, propter avaritiam, sibi placeat. Pauly in Quaest. Hor. p. 31 *qui* (i. e. cur) *nemo****); Ritschelius: *illuc unde abii redeo nunc, nemo ut avar.;* Schwenkius: *Nemo qui fit ut avarus;* Keck. in Jahn. Annal. Vol. LXXXIII. p. 766 *illuc — redeo. Cum nemo — laboret, sic — obstat*; Nipperdey I. p. 9 *quia nemo* ac deinde indicativis restitutis *probat, laudat*, (*gerat* retinuit), *tabescit, comparat, laborat* omnia usque ad *obstat* in unum enuntiatum e *quia* pendens coniungit. Nipperdeius vere perspexit orationem usque ad v. 113 continuari ac propterea eadem forma efferendam esse, quia similitudo quae adicitur, universae orationi inde a v. 107 expositae conveniat. Quod ut clarius appareat, malo cum Hauptio et Meinekio coniunctivum *obstet* restitui.

Quod supra ἀσυνδέτως posuit, repetivit *ac potius* particulis interpositis et suppleto *quisque*. In invidiae causa rem levissimam ponit, *quod aliena capella gerat distentius uber* i. e plenius, plus lactis habens, ut Ovid. Met. XIII, 826 de ovibus, *ut vix sustineant distentum cruribus uter*. Est vero in proverbio apud Ovid. A. A. I, 349 *fertilior seges est alienis semper in agris, Vicinum-*

---

*) Post Lindemannum (in Seebodii annal. phil. et paedag. a. 1828 I. p. 70) accurate hunc locum pertractaverunt Jeepius meus in progr. Guelpherbytano a. 1844, Schedlerus in dissert. de locis Horatianis hiatum habentibus Vratisl. 1846 p. 32-37, denique Luc. Muellerus de re metrica p. 304. sqq.

**) Jahnii sententiam si qui cognoscere cupiant, adeant Annal. phil. Vol. XXI. p. 105. XXX. p. 102. XXXII. p. 361.

***) Nannius Miscellan. III, 28. *cur nemo ut av.* coniecerat, Lindavius in progr. Oelsn. 1845. *nemo se ut avarus — Reprobet.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que pecus grandius uber habet. Propterea igitur avarus tabescit, ut Epist. I, 2, 57 *invidus alterius macrescit rebus opimis.*

hunc atque hunc. AP. 45. 439. Epod. 2, 31 *aut trudit acris hinc et hinc multa cane apros in obstantis plagas*; 5, 97 *hinc et hinc saxis petens*; 4, 9 *ora vertat huc et huc euntium liberrima indignatio.* Alium igitur atque alium opibus superare contendit. Ac *sic*, ut modo de indefesso alios superandi labore dictum est, *festinanti* semper locupletior obstat. Nequit enim hoc cum Doederlino ad sequentia trahi: qui eodem ardore, quo auriga victoriam, divitias cupit. Et totum hunc versum 113. a grammatico adiectum esse arbitratur Peerlkampius, postquam eius transpositio post v. 116. male cessit.

V. 114. docet exemplo circensium ludorum, quam infinitum sit avari studium. Auriga, qui secundo aut tertio loco currit, quadrigas, quas praeteriit, non respicit, sed in eas tantum, quae antecedunt, intuetur eisque *instat*, ut assequatur et superet (ut Epist. I, 2, 71). Rem illustrant Enniana in Annal. I, 87-90. De Vergilianis Georg. I, 512 p. 3. dixi.

extremos inter euntem sensu carere ait Doederlinus nisi comparationis particula *velut, quasi* addita; quivis iam praeteritus aurigae videtur similis ei, qui it inter extremos. Sed facili negotio poeta addere particulam potuit: *extremos temnens velut inter euntem*, quam contortam sane verborum collocationem ludens suasit Peerlkampius. Omnes omnino praeteriti extremi sunt ei, qui ad victoriam deportandam omnium primus evadere cupit. *illum* non ad *equum* pertinet, uti Heindorfio visum est (tum rectius plurali usus esset poeta), neque ad *currum*, sed ad aurigam. — *temno**) Horatius posuit Sat. II, 2, 38. et Verg. Aen. VI, 620 *discite iustitiam et non temnere divos.* Sapienter igitur avaro praecipitur, ut, si contentus esse velit, se pauperiores respiciat, ditiores omittat.

Cum versibus 118 et 119 apte comparabuntur Lucretiani III, 957

Sed quia semper aves quod abest, praesentia temnis,
inperfecta tibi elapsast ingrataque vita,
et nec opinanti mors ad caput adstitit ante
quam satur ac plenus possis discedere rerum.

ib. 938: *cur non ut plenus vitae conviva recedis,*
aequo animoque capis securam, stulte, quietem?

quo loco Wakefieldus motus *vitae* hoc loco proposuit, neque tamen cum

*) Formam *temnere* Ritterus tenuit; neque Lachmannus in Lucretio neque Ribbeckius in Vergilio idem facere ausi sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tempore coniunxit, uti quondam factum est in codd. multis, sed cum *satur* hac distinctione: *tempore, vitae cedat, uti conviva, satur*, in qua tantum abest, ut suavius quid insit, ut horridius vix quicquam possit excogitari. Quamquam metaphoram „lebenssatt" nostrates non ignorant. At ablativus *vita* codd. et Porphyrionis auctoritate firmatur. Dicunt vero Latini *cedere vita* (Cic. Tusc. I, 15, 35), *e vita* (Brut. 1, 4) tamquam possessione aliqua, *decedere* tamquam de statione vel provincia, *excedere vita*, *e* et *a vita*. Uti diversorii similitudinem in vitae descriptione exornavit Cic. Cat. 23, 84, ita Dionis Chrysostomi extat oratio, in qua vitam cum convivio variis cibis referto et homines cum convivis comparavit. Wyttenb. in Plut. consol. ad Appollon. p. 120 B. Bernhardy in Cic. Brut. p. 14.

V. 120. Exitus Heindorfio displicuit, quia similis unicuique carmini facile aptaretur. Sunt sane exitus simpliciores in Sat. I, 10 et II, 5: sed solet poeta iocari, ut I, 2. 3. 4. 7. 9. II, 3. 7 demonstrant. Et hoc loco urbanitatis ille lepos fere necessarius est poetae, ut Stoicorum molesta loquacitas a sermonibus aliena esse indicetur*). Quare Crispini notandi opportunitatem arripuit. Mira de eo narrant scholiastae, Porphyrion: „Plotius Crispinus philosophiae studiosus fuit. Idem et carmina scripsit, sed tam garrule, ut aretalogus diceretur;" Acron: „Philosophi cuiusdam loquacissimi, qui ἀρετάλογος dictus est. Hic Crispinus poeta fuit qui sectam stoicam versibus scripsit;" quae ex Horatio conficta esse Sat. I, 3, 138, II, 7, 45, I, 4, 13 docent. Quia Horatius ipse lippus est (Sat. I, 5, 30. 49), „impudentis et stolidi hominis esse videtur, inquit Bentleius paulo iactantius, immo communi plane sensu carentis, Crispinum ob lippitudinem deridere. Nunquam equidem crediderim adeo sui oblitum et decori inscientem fuisse nostrum, ut hoc faceret." Qua argumentatione criticus commotus et scholiastarum silentio confisus, *lippum* coniecit**) „Tam enim hoc urbane et facete, inquit, de se dixerit quam de Crispino stolide et humane." Hoc scilicet Maecenatem dicturum sibi fingit: Quorsum haec tum putida? mirum ni hic lippus Crispini scrinia compilaverit. Probavit Bentleii coniecturam Reisig. in Coniect. p. 315, sed aliter interpretatus est: scrinia male compilare,

*) Cf. F. A. Beck über das Wesen der Horazischen Satire in progr. Giessensi a. 1859.

**) Facilius omnia expedivisse sibi videtur Withof. II. p. 60 coniectura *lippis* i. e. lippis oculis compilare. Lambinus, Cruquius, Dan. Heinsius *Crispinum Lippum* fecerunt non maiore iure, quam quo Glandorp. in Onom. et Vossius de poet. lat. p. 238. *Plotii Crispini* nomen commenti sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quemadmodum in Sat. 3. v. 25 huius libri *lippum pervidere* sit *male pervidere*. Lippus enim, ait Reisigius, malus putatur fur esse. Contra eum bene Apitz. Coniect. p. 23 disseruit. At si lippi, inquit, nonnumquam mali fures sunt, inde profecto nondum efficitur, lippum significare *malum furem* aut adeo *male*. Nec ullo modo apparet, cur ipsius Crispini, neque Lucilii aut alius auctoris scrinia memorata sint, si Crispinus epitheto destituitur. Huc accedit, quod de garrulitate, non de furacitate Horatii agitur." Et garrulitas est lipporum, uti apparet ex Sat. 1, 7, 2, ubi cum tonsoribus garrulitate infamibus recte coniunguntur. Loquacem igitur Crispinum sibi Horatius hic aeque opposuit ac Sat. I, 4, 14. Ritterus excogitavit Crispinum scribendi studio magnaque librorum a se compositorum copia lippum factum esse. Tantum vero abest, ut Jacobsio credam (Lect. Ven. p. 305 seqq.) Horatium Crispini lippi mentione facta suam quoque lippitudinem etsi lenius attigisse, ut id plane alienum esse persuasum habeam. Quamquam Ekius p. 33. id amplexus est. Neque ad ingenium mentemque referendum est vocabulum sive de stupiditate sive de fatuitate accipitur neque ad assiduae potationis convicium. — Recte perspexit Reisigius orationem post *iam satis est* perperam puncto distingui. aiens et negans sententia invicem se explicant. — *scrinia*. Acron: „capsae, in quibus libri continentur." Ep. II, 1, 113. Scrinia plena habet Crispinus librorum a se conscriptorum.

Horatiani moniti plane immemor Peerlkampius superiores versus addit

infelix operam perdens, ut si quis asellum
in campum doceat parentem currere frenis, hac sententia:

„verbum non amplius addam, nam, si adderem, operam infeliciter, male perderem: avarum non magis docerem rationi parere quam asinum frenis." De eo invento satius erit verbum non amplius addere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf